DE AFFECTIONIBVS ANIMI NOSCENDIS ET EMENDANDIS

Commentarius

LAELII PEREGRINI

Philoſophiae ciuilis in Romano Gymnaſio Profeſſoris.

Cornelio Francescani



B. CAROLVS BORROMAEVS CARDINALIS.

ROMAE, apud Vincentium Pelagallum. M. D. XCVIII.

In via Peregrini. *Typis Sulpitij Mancini.*

SVPERIORVM PERMISSV.

SERENISSIMO
PRINCIPI
FERDINANDO MEDICI
Magno Etruriae Duci.

Laelius Peregrinus felicitatem.

COMMENTARIVM de noſcendis, frenandisq. affectibus animi, ſuperiore anno a me conſcriptum, nunc primum typis datum, Celſitudini tuae offero, dicoq. Magnanime FERDINANDE. puſillum ſane munus; longeq. inferius maieſtate MAGNI DVCIS; at a moderatione animi tui, qua ceteras plane regias virtutes tuas communem ſupra metam extuliſti, non alienum. Nec vereor, quin, ſi per grauiores occupationes paucas haſce pagellas percurrere liceat, magnam ſis voluptatem percepturus ab imagine tui, quae in ipſis relucet. Talem te Vrbs experta eſt annos quattuor atque viginti,

quibus in ea Cardinalis es commoratus. Principem egisti, vbi magnificentiae, celsitudini animi, prudentiae foret locus. in ijs vero, quae modestiam requirerent, ciuem te plane praestitisti, nihil in summa potentia molitus vltra ciuilem modum; quodq. magis mirandum, corruptissimo seculo, in magna vel vulgarium hominum viuendi licentia, & impunitate. Post, Etrusci imperij acceptis habenis, quam in toga meditatus fueras, exercuerasq. moderationem, eandem in sago retinuisti. auita ditione contentus, aequalitatem pro viribus in Italia tueris; quasi in aream inducta libella. alienus a turbis, atque rebus nouis. ita subiectis tibi populis moderaris, vt a moderatissimo se principe regi, sentiant; gaudeantq. pace opulenta, quam tua illis bonitas, vigilantia, prouidentiaq. praestant. Haec animi, ab omni cupiditate vacui, argumenta me admonuerunt, non incommode facturum, si hanc de moderandis affectibus lucubrationem augusto FERDINANDI Principis modestissimi compositissimiq. nomine inscriberem. Huc accedit FRANCISCI

MA-

MARIAE BORBONII Cardinalis de Monte, a cuius mihi benignitate magna otij huius litterarij portio existit, singulare in te studium, & memoria perennis acceptorum beneficiorum; e cuius penatibus, si quid boni, atque laudabilis promanat, id tibi magis, quam cuiuis deberi, pro egregia illius in te fide, nostraq. in vtrumque obseruantia, profitemur. Neque vero huiusmodi commentatio, quasi corrumpat artes imperandi, viro Principi noxia, vel inutilis censenda. impij porro, qui quem principem optimum constituunt, eundem non patiuntur esse bonum virum. repugnat veritas; obstant experimenta omnis aetatis; contradicit Plato; qui neminem censuit bene imperaturum, ni antea seruierit. num ergo ex mancipijs Princeps legendus? num futurus Reip. rector quaerendus inter seruitia? verum rationi, fractis cupiditatibus, diu seruierit oportet, qui ceteris bene studet imperare. hac disciplina illi maxime opus, cui omnia licent. nam priuatum hominem, si modestiam exuat, non desint, qui corrigant; principem vero ef-

frenem, & peccandi licentia magnitudinem fortunae ſuae metientem, quis in ordinem redigat? Noſtram igitur commentationem, uti Principum oculis non indignam, lubens accipies Princeps Sereniſſime; ſtatuesq. ab hoc labore, nullum ſane quaeri fructum vberiorem, quam vt Celſitudini tuae noſtra ſtudia innoteſcant.

SVMMA CAPITA EORVM, de quibus agitur in hoc opere.

Errata sic corrigito.

		Expungenda.	Reponenda.
pag. 9.	ver. 10	*i cinore*	*iecinore*
20.	ver. 12	*abripere*	*abripiere*
32.	ver. 7	*diucundo*	*dicundo*
33	12	*iudiciumq.*	*indiciumq.*
38	1	*impudicas*	*impudicos*
65	12	*depraehensum*	*deprehensum*
67	17	*Cretetis*	*Cratetis*
68	17	*praemebat*	*premebat*
89	10	*coeparum*	*caeparum*
	17	*quuiit*	*quaerit*
94	3	*occeptissima*	*acceptissima*
	5	*Interualla*	*interuallo*
	29	*nouatione*	*innouatione*
95	23	*colatae*	*collatae*
102	30	*factiones*	*effectiones*
113	5	*seperanda*	*separanda*
127	17	*caritatem*	*charitatem*
130	24	*coepit*	*cepit*
135	10	*quarum*	*quorum*
141	17	*subrura*	*subruta*
142	12	*anini*	*animi*
153	4	*quos*	*quas*
	25	*atque*	*quoque*
157	13	*rimorem*	*timorem*
	27	*inspirent*	*aspirent*
164	20	*ademptum*	*adeptum*
168	13	*fuga*	*depulsio*
170	23	*proptum*	*promptum.*

DE AFFECTIONIBVS ANIMI DINOSCENDIS, & emendandis.

PROOEMIVM.

MAGNOPERE optandum eſſet, vt quantum appetitus hominis incitatur ad malum, tantum ratio niteretur ad bonum. id ſi fieret, nemo fere mortalium non eius eſſet compos felicitatis, ad quam nati, ſuſcepti, & inſtituti ſumus. At eo ventum in rebus humanis, vt neque mens admodum pertinaci ſtudio ſectetur honeſta; illecebris delinita voluptatum; neque appetitio, prona in iucundum, & eius vnius ſtudioſa, abſque ſeueriſsimo mentis imperio coërceri, aut acerrima diſciplina frãgi queat. etſi enim pars ea ſeruitio ſit a natura deſtinata, reluctatur nihilominus imperanti quamſaepiſsime, ac fas omne abrumpit; quod ciuili ſubiecta obſequio, non herilis imperij vinculis aſtricta, decedere ab officio, atque praecipienti poſsit non obtemperare. tum vero his ſe compedibus exoluit maxime, cum ratio ociatur, ſibiq. minus attendit. quippe rapitur tunc facillime rerum iucũdarum aſpectu, & rationem, aduerſa quidẽ, at ſero, vel frigide ſua-

dentem,

dentem, stimuloq. debili superne infestantem, excutit, perinde ac equus nouus, & intractatus, vel suopte ingenio prauus dormitabundum, seu alias imperitum regendi sessorem ante deiicit, ac solo allidit; quam se belluae dorso motum ille senserit. Ab hoc fonte omnis humanae vitae inconstantia, perturbatioq. promanat; qui si arte aliqua, vel industria, & labore occluderetur; nihil remaneret, quod nostram euerteret felicitatem. ratio enim ex se recta est, & ad optima fertur, hortatur, excitat; vt 1. Ethic. cap. vltimo ait Aristot. sed repugnat appetitio, efficitq. vt ad contraria tendat; quod ijs contingit, qui membra resoluti, luxatiue, cum dextrorsum ire volunt, abeunt sinistrorsum. Huic malo duplici potissimum remedio nobis occurrendum. altero quidem, vt menti fixum sit, & immotum, non sequi cupiditates; perpetuoq. in eam curam excubet, ne de regno deiiciatur; cuius continuatio custodiae difficillima, & homini, ob vitae necessitates in diuersa distracto, desperata. quis enim in tanta rerum gerendarum varietate, atque confusione, quasi e specula in id perpetuo euigilet, ne a domesticis opprimatur? altero vero tutiore, quodq. vehementi studio atque conatu, prim[?]inuitante, mouente, ac deducente caussa, tandem obtinetur; si cupiditatum, affectionumq. vis immodica frangatur, atque debilitetur; quod vbi consequuti fuerimus, nihil ab ijs incommodi extimescemus; exurgant licet ex insidijs, vel aperto bello lacessant.

ſant. Huc praecipue, qui de moribus diſputant, operam conferunt. felicitatem enim, quam hactenus pollicentur, & inueſtigant, non alibi, quam in moderatione cupiditatum nanciſcũtur. vt enim multa quaerat, qui pauca cupit? vt iacturam patrimonij, funera propinquorum, amiſſos in remp. magiſtratus, honores virtuti negatos queratur, qui nec ardet ſiti diuitiarum; nec in ſanguine coniunctos molliore fertur amore; nec aeſtuat cupiditate augendae dignitatis? quem vltionis libido cruciet, vbi frenum iniecerit iracundiae, atque ad tolerantiam iniuriarum ex Philoſophica ſe diſciplina aſſuefecerit? Multae, atque diuerſae de ſummo bono fuere Philoſophorum ſententiae, a Socraticis ortae diſputationibus; adeoq. multae, vt difficile numerus iniri queat. ingens ea de re concertatio, alijs alio dicta magiſtri trahentibus, & ad proprium peculiarem ſenſum accommodantibus; vt non inepte Seuerinus Boethius Philoſophiam ſcripſerit in aegritudine ſibi viſam, graui aſpectu, veſte lacera, lamentantem, ac prodentem auctores iniuriae. Cum enim Socrati, pro veritate pugnanti, ad extremum vſque ſpiritum in carcere adſtitiſſet, eo extincto, confeſtim irruiſſe profanum vulgus in ipſius haereditatem, quaſi ad rapinam, impetu prauo & immodeſto; ſe vero reclamantem, obluctantemq. conatibus iniquis, ceſsiſſe in predam veſte; non vlla ſui parte; abreptisq. panniculis, atque centonibus paucis, eos inde laetos, quaſi Philoſophia in poteſtatem redacta, abiiſ-

ſe.

se. Verum si sententiam veritati accommodare maluissent, quam veritatem ad proprium sensum, vti vitem ad vlmum, contorquere; censuissentq. nō esse illam; quasi regulam Lesbiam, quae opiniosorum hominum inuentis aptetur; sed virgulam firmam atque solidam, quae nec vltra, nec citra possit inflecti; si demum, iuxta praeceptum, ab Aristotele vltimo lib. Ethic cap. I. traditum, Socratis mentem ex vitae instituto magis, quam ex sermone, qui anceps in eo fuit, inuestigassent; nec vile panni frustum pro splendidissima purpura, vel opulentissimo thesauro reportassent; nec in summi boni per dicta Socratica inuestigatione, tū à magistri decretis, tū ab ipsa veritate longe adeo aberrassent. Socratis vitae progressum si attentius dispicias, egregium hominem in eo maxime reperies occupatum, vt affectiones animi, atque motus cupiditatis haberet in potestate. conuicia aequo animo ab vxore tolerabat domi, vt moderatius iniurias ferret ab inimicis in foro. post palaestram, cum vehementissime sitis vrit, abstinebat potu, ne, vt ipsemet aiebat, affectibus obsequi assuesceret. honestas quoque voluptates, vbi non essent necessariae, respuebat, vt se facilius contineret a turpibus. innumeras eius generis exercitationes in Socrate possem referre, quibus id tandem est consequutus, vt & fortunatum tenuitatem regiae opulentiae anteferret; & iniuriosius appellatus, non permoueretur; pulsatus, non excandesceret; morti demum, per summum nefas, ad-

dictus,

dictus, nulla viuendi cupiditate adduceretur, vt quicquam remitteret de celsitudine animi, vel caussam sceleratos apud iudices dicere sustineret. Si, vt Arist. 1. Eth. cap. 2. docet, quaecumque homo agit, sui caussa, & vt felix euadat, agit; in hac tanta viri sapientissimi erga motiones animi colluctatione, quid iudicij de illius sensu facies, nisi posuisse illum status praesentis beatitudinem in tranquillitate animi, rebus honestis exerciti, quam cupiditates vsu domitae, subactaeq. non perturbarent? tuque, ni, Eurypo similis, aestuas motibus intimis, quid hac moderatione magis ad animi quietem conferre dixeris? Equidem huius semper fui mentis, illum apud nos, pro captu præsentis cõdicionis, non posse non dici felicem, qui notitia veri Dei, quae basis existit omnis felicitatis, imbutus, rerum ad vitam necessariarum non inops, nec valetudine vsus corrupta, Scyllaeos istos latratus ita compressit, vt ab ijs non timeat; & auri argentiq. propositis aceruis, vel pretiosa explicata supellectile, cum Socrate ex animo iactet in pompa; *Quam multa non desidero*; vel honoribus oblatis, audacter cum Argolico proferat choro,

Stet, quicumque volet, potens
Aulae culmine lubrico;
Me dulcis saturet quies.
Obscuro positus loco
Leni perfruar otio.

De veri Dei cognitione nobis, quibus Euangelica lux per Christum affulsit, non est dubitandi locus. bonorum externorum copia, quanta sufficit ad pellenda vitae incommoda, parabilis est, & ad manum existit. valetudo paruo negotio sustentatur ab ijs, qui non sunt prodigi salutis. vna cupiditas inficit, perditq. omnia; per quam fit, vt nemo sua sorte contentus viuat. haec si emendetur, felicitatem, quae obtineri ab homine per vires naturae potest, manu tenemus; tantula re summa clauditur humanae tranquillitatis. dictu id quidem facile; sed factu arduum adeo, vt omnes excedat Herculis labores. cum enim orbem ille monstris purgarit, se ipsum, quo minus preda fieret cupiditatum, seruare non potuit. Haec me cogitatio impulit, vt breuem hunc commētarium, de agnoscendis, & emendandis affectionibus animi, ex meis in libros ad Nicomachum lucubrationibus conficerem, quasi telum ad frangendam eiusmodi luem aptissimum; si minus pugioni, quem in Epicteti officina fabrefecit Arrianus, vel ferri bonitate, vel artificij excellentia comparandum; at cetera non ineptum, vel inutile futurum ad feras istas immanes, atque truces, quibus mortalium animi misere depascuntur, iugulandas, vel debilitandas. Qua in re amoenis, & eruditis quoque ingeniis per nos consultum; vt earum natura ex hac tractatione plane innotescat; quos gignant morbos, quae illorum remedia, quae venenorum antidota, palam fiat; multis, quae ad disciplinam

&

& historiam faciunt, ex antiquitate repetitis. Et primum quidem generatim quid, quot, quales eae sint, explicabimus; post, ad singulas gradu facto, cuiusque vim, & naturam singillatim aperiemus. Operam vero nostram venerandae Caroli Card. Borromaei memoriae dicamus; viri firmitudine animi, tolerantia laborum, contemptu voluptatum, aeuo suo incomparabilis; qui tanta contentione proprios affectus, omnemq. turbidum animi motum compresſit, ut ille tantopere laudatus in hoc genere Socrates ei non magis, quam Astyanax Hectori videatur conferendus. porro egregij hi magni viri conatus, vti Dei beneficio, supernisq. auxilijs accepti referendi sunt, sic praeclarae illiusdem voluntati, qua diuinos influxus auide exorabat, excipiebatque, ex parte tribuendi, ego ijs, quae naturam superant, omisſis, nihil metam ex Teologorum segete; verum in latisſimo Philosophorum campo ea persequar, quae naturam non excedunt; quam nihilominus, vbi diuino destituitur fauore, nec perennem honestarum functionum cursum retinere, nec sine labe vitam claudere posse, pro certo habeo.

Eiusdem Caroli effigiem operis initio collocauimus; tum quod tanti viri vel sola recordatio sanctitate animum perfundit, ipsaq. imago conspecta compositionem ingerit motionum internarum; tum quo lectores intelligant, nos in progressu ad res illustrandas ita exemplis ex antiqua, & recenti historia vsuros, vt quae Carolus gesſit,

dixitue,

dixitue, ſimus non ſemel conſectaturi. Nec dum affectus moderandos ſuadeo, pari ipſe morbo erga virum religione inſignem laboro. etenim ſi præbita moralibus omnium exempla virtutum, ſuſceptumque, vt pie credi par eſt, poſt mortem hominum generis patrocinium demas, nullo is mihi, dum viueret, beneficio cognitus; ego illi nec de facie notus. at praebeo teſtimonium virtuti, & veritati; affectu omni procul ablegato. nam cum multos mente voluerem ex ijs, qui noſtra memoria cum laude ſunt vita defuncti, nullus commodior occurrit, quem argumentũ atque ὑπόθεσιν facerem huius lucubrationis. hominem certe, qui natus illuſtri loco, aeducatus in opulenta domo, ad regimen, ſummamq. rerum vocatus, omnibus dignitatibus auctus, a Regibus maximis ſummo in honore habitus, ſui ipſius adeo potens fuerit, appetitionesq. noxias, tam ſeuere fregerit, tam dure caſtigarit, poſtea quam diu aetate noſtra quaeſiueris, ſuperiorem huic nanciſceris neminem.

DE AFFECTIONIBVS ANIMI GENERATIM.

CAP. PRIMVM.

Definitur quid eae ſint, & in qua parte animi excitentur.

AFFECTIONES animi ſunt *commotiones ab appetente facultate, in ſe ipſa, ex boni, aut mali exiſtimatione excitatae, ad aliquid perſequendum, vel amoliendum*. Commotiones dixi, tum Ariſtotelem ſequutus, qui 2.Rhet. cap. 1. ait, affectus eſſe, quibus homines commoti differenter iudicant; tum quia vere commouetur animus, cum amat, cupit, odio habet, auerſatur; ſequiturq. ſanguinis, & ſpirituum, quos vocant, agitatio, nunc ſe ad extimas partes corporis effundentium, nunc ad interiora recurrentium. ex quo perſpicitur, eas nec eſſe facultates, vel poteſtates, nec habitus, ſed actiones miſtas perpeſsionibus. Agit animus cum amat, quia ciet actum; agit ſimili ratione cum delectatur, vel dolet, quod & Ariſtot. tradit 3.de anim.tex.29.idem amando, dolendo, voluptatem capiendo patitur, quia afficitur. & ſiquidem vehementiores fue-

rint, perturbationes dicuntur, graece πάθη, vbi vſu inualuerint animi vitia ob habitum contractum, atq. adeo morbi, aegritudinesq. a Latinis appellantur. Patitur vero animus nedum tranſlato patiendi vocabulo, quo pacto aërem pati dicimus, cum illuſtratur; & intelligere apud Ariſtotelem 3.de anim. tex. 12. eſt quoddam pati, improprie ſcilicet, & citra rei alicuius abiectionem; quodq. magis perfici ſit, quam pati; verum etiam qua complicatus eſt corpori, patitur ex euentu, vere, ac proprie, cum amiſsione rei ſibi adiunctae: ſubit enim affectio per corpus, peruaditq. in animum, arctiſsimis eidem compagibus innexum; dumq. hic mutatur in deterius, patitur verius, quam vbi ad meliorem tranſit condicionem, ſuaeque magis naturae conſentaneam. pati enim eſt rem a ſtatu ſuo naturali ad ſtatum agentis traduci. ea propter qui dolet, verius patitur, quam qui laetatur; perinde ac generationem appellamus eam tranſmutationem, qua quid ex deteriore fit melius. corruptionem vero, qua ex meliore deterius; etſi omnis corruptio ſit cum generatione, omnis generatio cum corruptione vt 1.de gen.tex.18. Ariſt.docet. dixi, *ab appetente facultate in ſe ipſa excitatae*; vt earum efficiens cauſſa, ſedes, & quaſi conceptaculum innoteſceret: ſunt enim e genere actionum, quas vocant immanentes, quod in eo ſint, a quo manant. quapropter in appetente ſunt parte, a qua producuntur. pars vero cognoſcens inepta eſt eiuſmodi motionibus ciendis; quod nec

bonum

bonum intuetur, vel malum, circa quae illae occupantur; nec impetu vllo fertur in rem cognitam; quaeq. apprehendit, non vt in re ſunt, ſed vt in ipſa vi cognoſcente exiſtunt, apprehendit.

Sed cum duplex in homine appetitus exiſtat, vt Ariſtot. 3. de anim. t. 50. & lib. 1. Rhet. cap. 10. prodidit, quorum alter ſequitur rationem, & voluntas appellatur, alter ſubſequitur ſenſum, cui ab appetendo nomen eſt; nos eam hic vſurpamus facultatem, quae ſenſui haeret; qua de re plura dicam, vbi propoſitae definitionis partes examinauero. additum, *ex boni, aut mali exiſtimatione.* neque enim appetitus, niſi bono maloue inſpecto, excitatur. non dixerim ex opinione boni; quemadmodum Alcinous, Andronicusque: nam opinio ad partem animae rationalem ſpectat, vt in 2. lib. de Anim. tex. 152. docet Ariſtoteles: affectiones vero fiunt in appetitu inferiori.

Sed num ſola boni, vel mali phantaſia ſit potens commouere appetitum, quae fuit Aſpaſij ſententia; an praeterea exiſtimatio requiratur, vt Andronico viſum, dubitari poteſt. Et quidem cum Andronico ſentiendum. Ariſtoteles certe 2. de an. tex. 154. id ipſum tuetur, firmatq ex eo, quod ab imaginatione rei difficilis, vel horribilis nemo commouetur; vt qui leones intuetur pictos, vel imaginatur præſentes. at ſi exiſtimet eos adeſſe, continuo inhorreſcit. poſtrema verba, *ad aliquid proſequendum, vel amoliendum*, finem connotant affectionum. porro conſeruatio animalis non eſt finis

affectionum proprius; ſed communis omnium, quae ab homine geruntur.

CAP. II.

An eiuſmodi commotiones fiant in parte rationali.

ILLVD primo loco ſtatuendum; appetitum alium eſſe naturalem, alium animalem; quae ſumma eius partitio exiſtit. appetitus naturalis eſt propenſio ſine cognitione, qualis eſt materiae primae; vel ſi per cognitionem excitatur, ſiue ſenſum, non ideo ſentientis animae proprius exiſtit, ſed vegetantis cum ſenſu coniunctae; animalis vero excitatur agnitione. igitur naturali illo, vti caeco, nulliusq. morali philoſopho vſus reiecto, de animali agendum, qui ex cognitione boni, vel mali exſurgit, & Philoſophiae deſeruit circa mores occupatae. hunc duplicem antea fecimus, quod alter rationem ſequitur, alter ſenſum. prior ille homini ſolum ineſt, deliberat, non eſt in organo; poſterior locum habet in omnibus animantibus, vbi enim eſt ſenſus, ibi dolor, & triſtitia; vt habetur 2. de an. tex. 20. ſed abſtinet plantis, & ijs quae infra ſunt; caret vi deliberandi; eſt in organo, & materiae inhaeret. Quaero igitur num huiuſmodi motiones in illo tantum appetitu fiant, qui ſenſum conſequitur; an excitentur adhuc in parte rationis compote; vt D. Auguſtinus. 14. de ciu. Dei cap. 5. & 6. Galenus lib. 4. de Placit. cap. 2. 3. & 4.

& Io. Scotus lib.3. ſent. diſt.33. ſenſiſſe videntur; ſuaderiq. poteſt admodum valida ratione; quod homo perturbatur maxime imminuta exiſtimatione, vel honore violato; quam nihilominus iacturam ſenſus non percipit; alias ferae, ſenſibus acutiſsimis praeditae, cupiditate honoris, & gloriae tangerentur. Verum M. Cicero. 1.offi.& Thuſc.1. & 4. D. Thomas. 1.2.q.22.art.3.ipſeq. Ariſtoteles longe aliter ſentiunt. nec de Ariſtotelis ſententia dubitandum; nam lib. ad Nicomachum primo, circa finem, cum appetitum inferiorem a ratione ſeparaſſet, illi, non huic eiuſmodi affectus adſcribit. Praeclare Scaliger in exercit. contra Cardan. contemplatio ἐν τῷ λογικῷ; affectus ἐν τῷ ἀλόγῳ & quidem ſi per commotionem ſanguinis, & ſpirituum excitantur, vt res ipſa loquitur, par eſt exiſtimare, non eſſe illas in uoluntate, quae inorganica cenſetur a recte ſentientibus. Nec inficior eaſdem ab appetitu rationali interdum cieri, cui uis ineſt appetitum inferiorem trahendi, qualem in ſubiectam ſphaeram ſuperior exercet; quod nihilominus miniſterio phantaſiae ſuperne commotae fieri lib. de inceſſu animal. auctor eſt Ariſtot. alias conuerſo rerum ordine hunc ab illis rapi, trahi, abduci, ut erudite in tertio de anima tex. 57. idem docuit. Inde fit, ut homo pluribus, & uehementioribus infeſtetur perturbationibus, quam belluae. quod & Plato aſſeruit in Axioco, & poſt eum. 1.polit.cap.6. Ariſtoteles, atque lib. de cupiditate diuitiarum Plutarchus; ac demum anti-

quior Homerus. concipit enim ratio conquisitissimas quasdam, & suauissimas uoluptates, uel cruciatus, doloresq. acerbissimos; & multa sibi fingit a uero aliena: quapropter plura fugit, uel appetit, & ea ipsa uehementius, ut magnarum existit uirium, atque praepotentium. Sunt igitur animi affectiones in appetitu inferiori, ut in propria sede; etsi superiorem quoque respiciunt, &, uti explicuimus, afficiunt; quo pacto cum D. Thoma Scotus conciliari potest. nec aliam D. Augustino, & Galeno mentem fuisse reor. Excandescimus autem laeso honore, etsi eiusmodi detrimentum inferior appetitus non percipiat, quoniam ratio concipit offensam illam uti turpem, uoluntas respicit uti detrimentosam, excitatq. facultates infra se positas, quasi satellitium ad repellendum, easq. post se trahit, ut superior sphaera illam quae proxime subiacet; Est etiam inter animi facultates mira quaedam consensio a natura, ut una alterius auxilio accurrat, ubi senserint esse opus; perinde ac in exercitu arte instructo fieri uidemus.

CAP. III.

De Appetitu inferiori; sit ne simplex; tum de organo ipsius & conceptaculo affectionum.

APPETENDI uim in concupiscentem, & irascentem Aristoteles diuisit. hanc θυμὸν, illam ἐπιθυμίαν appellat; opponitq. inuicem multis in locis. uidelicet lib. 2. de an. tex. 27. & lib. 3.

t.42. & lib.1.Rhet.cap.10.& lib.2.Topic. loco 25. & lib.4.loco 51. his in locis θυμὸν,καὶ ἐπιθυμίαν sumit pro ipsis facultatibus, e quibus affectiones diuersae promanant. quare in 4.Top. ait, ὀργὴν, hoc est iram, esse ἐν τῷ θυμοειδεῖ; λύπην uero, hoc est tristitiam, ἐν τῷ ἐπιθυμητικῷ. Interdum uero ἐπιθυμίαν presſius sumit, pro cupiditate, θυμὸν pro ira, ut sunt particulares affectus. sic lib. 2. Ethic. cap. 5. enumerans affectiones, ἐπιθυμίαν ponit pro affectu particulari, & 1.de an.tex.12.ait,irasci con fidere, & ἐπιθυμεῖν, hoc est, desiderare, tum infra tex.14. pro ira, quae ὀργὴ existit, & peculiaris est affectus, ponit θυμὸν;ὀργὴν quoque cum tota irascente facultate alias confundit,ut uidere est lib.2. Top.loco 25. Ita nos Latini quandoque irascentem sumimus pro ea parte animi, cui spem,timorem,audaciam,desperationem, ipsamq. iram proprie dictam tribuimus; & ab effectu magis noto, atque frequente appellamus. alias angustius accipimus pro exarsione animi, & indignatione, quam iram proprie nominamus; Appetitum quoque, appetitionemque multimode confundimus. aliquando enim accipimus pro omni affectu animi, aliquando arctius pro ui appetente, ut opponitur concupiscenti. Postremo strictissime, pro desiderio rei absentis conuenientis. His explicatis, vti hae facultates inter se distinguantur, videamus. Vis concupiscendi finem spectat primo, & per se; post ea, quae sunt ad finem: excitatur enim conspectis impedimentis, occu-

paturq. circa mali depulſionem, quo finis adeptio retardabatur. haec in animantibus perfectis tantum habet locum: nam vermes, culices, & ſimilia, vel non iraſcuntur, aut ſperant, timentue, vel quampauciſsimum. quippe voluptatem appetunt inſcia, nec vlla eis mediorum, quibus finem aſſequantur, cogitatio, ſiue cura, ob facultatis exiſtimantis inopiam, atque tenuitatem: at vis concupiſcendi eſt integra in omnibus: omnes enim animantes voluptate trahuntur ad paſtum, & libidinem coëundi; quorum alterum indiuiduo tuendo confert, alterum propagandae ſpeciei. His vſibus cum iracundia non ſit admodum neceſſaria, iure optimo natura liberalior exiſtit cupiendi facultate impertienda, quam iraſcendi; ne videlicet ſpecies rerum, quarum praecipua illi cura, perirent. Demum vis iraſcendi ad puriora fertur, minusq. obnoxia eſt materiae, vt quae a minus obtuſa prodit exiſtimatione: praecipue vero dum ſeruit rationi, ſeſe ſupra materiam effert; quod cupiditati non ſit adeo procliue.

Quo ad organum inter illas nullum ſtatuo diſcrimen; ſed in corde utramque conſtituo: nec laudo Platonem, atque Galenum lib. 4. de decret. eam, quae concupiſcit, in epate locantes: nam epar eſt ſanguis craſsior, coagulatus, ad ſentiendum, ne dum ad appetendum ineptus; omnis vero appetitio eſt cum actu ſentiendi, vt in lib. 3. de anim. tex. 29. & ſaepe alias tradit Ariſtoteles. Praeterea epar eſt ſedes earum facultatum, quae

quod

quod non sunt aptae obedire rationi, vel eius imperata excipere, dicuntur inrationales, cuiusmodi sunt alendi, & augendi vires: at appetendi facultas purior, percipit dictata rationis, & plerumque audit. Sed & experientia iuuat magistra rerum; dum enim cupiditate aliqua vehementius corripimur, corde nos fatigari aduertimus. Demum loquendi vsus id ipsum suadet: dicimus enim ex corde amare, vel odisse, non ex epate, vel iocinere, eademq. fuit Aristotelis lib. 3. de partib. animal. opinio.

Nec etiam probo, quod ab aetatis nostrae viro longe doctissimo scribitur, irascentem, & concupiscentem non aliter distingui, quam quod illa occupatur circa ea, quae sunt animi, puta honorem, & similia; haec vero fertur in voluptates corporis; proferat quamuis Platonem, Galenum, Simplicium suae opinionis testes, ut ipse censet, locupletissimos. Simplicius quippe lib. 2. de an. com. 28. appetitionem honoris tribuit facultati irascendi. Galenus lib. quod mores animi sequantur temperamentum corporis cap. 2 ait, irosam animae portionem esse libertatis, victoriae, imperandi, gloriae, honoris appetentem; ideoq. Plato dial. 9. de Rep. partem illam ambitiosam, contentiosamq. dici affirmauit. neque illud parui est momenti, quod Aristot. lib. 7. de Repub. cap. 7. scribit amorem ad appetitum irascendi pertinere, & lib. 5. cap. 10 iram esse particulam odij. vnde apparet, ex sensu Aristotelis amorem, & odium

ne

ne dum ad concupiſcentem animum pertinere, verum etiam ad iraſcentem: vt omnino affectionum partitio, diſtributioq. aliter ſit, quam placuit Latinis, facienda. Haec a magno viro acute, eruditeq. excogitata, & in luculentam diſputationem adducta, vt fidem forte faciant ceteris; mihi certe non perſuadent. Et quidem illud primum ſtatuo, appetitiones vtriuſque facultatis eſſe diuerſas, vt Ariſtot. teſtatur lib. 3. Eth. cap. 1. alias eſſet vna ſimplex facultas: atqui Ariſtoteles locis ſupra allegatis diuidit in duas, praecipue vero in 4. lib. Topic. loco 51. ait ὀργὴ ἐν τῷ θυμοειδεῖ, λύπη ἐν τῷ ἐπιθυμητικῷ, hoc eſt ira in iraſcente, triſtitia in concupiſcente. Huc accedit, quod lib. 2. Topic. cap. 3. manifeſte innuit, amorem eſſe in concupiſcente. velle igitur amorem iraſcenti quoque adſcribere, ceu ſedi connaturali, naturales animi facultates, earumq. motus confundere eſt. Deinde illud obſeruandum, ex malis animi triſtitiam gigni, quae nihilominus eſt in concupiſcente portione, ut 4. lib. Topic. docuit Ariſtot. nec quiſquam eius ſit mentis, ut triſtitiam collocet in iraſcente; iram quoque fieri in parte rationis experte, vt idem ſcribit lib. 3. de an. t. 42. demum excandeſcere beſtias, atque pugnare acriter pro cibis, & Venereis, & paſsim conſpicimus, & annotauit Ariſtoteles. Hinc liquet, tum concupiſcentem ferri ſupra voluptates corporis, & ſenſus; tum iraſcentem ad ea deſcendere, quae ſine rationis ope fiunt, & omnino harum faculta-

tum functiones non aliunde accipere distinctionem, quam ex eo, quod concupiscens primo finem spectat, irascens vero quae sunt ad finem. Cupit enim quis frui re amata. si planum prospicit iter, absque vlla noui motus excitatione pergit ad finem, fruiturque: hactenus progreditur cupiditas: sin salebrosum intelligit, impeditum, difficile, vis exurgit irascens; & vel timet, vt assequatur, vel sperat, vel audet, vel desperat, vel excandescit quod impedimenta fuerint iniecta: His ita constitutis facile est intelligere quid velit d. Thomas, cum ait, affectiones concupiscentis inclinare, irascentis mouere ad obiectum. inclinatio quippe illa ad finem est; motio ad ea, quae sunt ad finem. nec illud admittendum, quod contra istud d. Thomae dictum affertur; ipsam quoque vim irascendi habere obiectum sibi peculiare, in quod per se inclinet, & per propriam propensionem; puta honorem; nam cupiditas in homine fertur ad honorem, laudem, & gloriam, eoq. peruenit ob coniunctionem cum ratione; quemadmodum ob eandem affinitatem cogitatiua hominis honorem, aliaq. supra sphaeram sui obiecti existentia, attingit; vt idem docuit p.p.q.78.ar.4. Et quidem cupiditates eiusmodi cum ratione coniunctae cogitatiuam sequuntur; inrationales vero existimationem. irascens quoque vis pugnat interdum contra cupiditatem; sed ne inde finem ei peculiarem adscribas; nam pugnat pro ratione, a qua excitatur con tra cupiditatem; sicuti pro hac aduersus illam non

ſemel commouetur. eſt enim ira ceu ſatelles vtriuſque partis; neque mouetur, earum altera non impellente. In brutis vero iraſcens quandoque pugnat cum cupiditate, vt in cane, qui ſimul cupit panem,& veretur baculum; quod ſatis indicat naturalem earum facultatum diuerſitatem; verum haud inde colligas, iraſcentem moueri ſine vllo motu cupiditatis; neque enim ille baculum vereretur, niſi ante odio habuiſſet,& auerſaretur tamquam malum. Hoc illud eſt arduum, quod iraſcenti D. Thomas ſubiecit; media ſcilicet ad conſequendum finem, obtentu difficilem, quae peculiarem habent boni, & optabilis rationem; alia enim eſt bonitas finis, alia mediorum; etſi non ſint media bona, ni conferantur in bonum finem. Quae vero ex Galeno, Simplicio, Platone, Ariſtotele deducta ſunt, confutantur facile. nam appetitio honoris ad rationem proprie ſpectat. dicitur autem vis iraſcens idipſum ſpectare, quia apud homines ratione vtentes prouocatur magis ira laeſo honore, quam ablatis ijs, quae ſunt cupiditatis. hoc tamen ſaepe fallit apud vecordes. ſunt enim, qui, detractis voluptatibus corporis, magis excandeſcunt, quam ſi omnibus proſcindantur conuicijs; omnibusq. probris contaminentur. Sic Ariſtoteles voluptatem, & dolorem cupiditati attribuit, quia in voluptatibus atq. doloribus percipiendis primae ſunt eius partes; non quod iraſcens vis careat voluptate. Quod autem ſcribit Ariſtoteles, iram eſſe particulam odij, ſic eſt accipien-

dum,

dum, quasi natura sint conformes; ait enim eosdem esse vtriusq. effectus, puta euersionem Tyrannorum; at omnia, quae similes effectus pariunt, habere se vt partem atq. totum, siue vt genus & speciem, adeo non verum est, vt non egeat confirmatione. Quid si dixerim, sine odio iram non excitari; quod irascens non agat, nisi suscitetur a cupiditate? ideoque, quod vna operentur, alteram dici alterius particulam? Sed in disputatione de ira ostendemus non esse illam simplicem affectionem, quod multae in eam confluant motiones; eas inter odium numeratur, vt merito illius particula dici queat. Restat vt scrupulum illum, quem Aristoteles iniicit, vbi amorem ad iracundiam, (graece θυμὸν appellat) pertinere dixit, euellamus. voluit Plato custodes ciuitatis debere esse mites in notos, & domesticos; asperos in ignotos, & externos. hanc distinctionem non probat Aristoteles. nam custodes ciuitatis, si libertatis propugnatores futuri sunt, decet esse animosos. animus enim (hunc intelligit, cum θυμὸν appellat) est, qui ad libertatem aspirat, & dedignatur seruitutem. animus quoque amorem ingenerat; hoc est, animis excelsis, & generosis maxime innascitur amor erga omnes. Quare si animosos Plato vult esse custodes, necesse est eosdem beneuolos constituat erga omnes: perperam igitur iubet, ut sint asperi erga ignotos: saeuitia enim ab animo generoso longe abest; amorem vero parti generosae affinem, & quasi congenerem esse, probat

probat ex eo, quod animus, cum se contemni putat, exasperatur magis erga familiares, vt ex Archilochi versu apparet, animum suum ita alloquentis: *Non ne ab amicis cruciaris?* hic genuinus est eius loci sensus; nec ibi θυμὸς accipitur pro facultate vniuersa irascente, vt respondet τῇ ἐπιθυμίᾳ, nec pro ira in particulari, quam alibi ὀργὴν appellat; verum pro parte animosa, & elata: ira vero etiam in homines abiectissimos cadit, vt suo loco ostendemus.

CAP. IV.

An affectiones animi, quantumuis moderatae, possint cum virtute coniungi.

TRADITA definitione affectionum animi, & earum sede, ac fonte commonstratis; vti se ad virtutem habeant dispiciamus. Stoici, Philosophorum durum genus, & asperum, in eas virum sapientem angustias coniecere, vt dolere nec posit aliquando, nec laetari, non amare, non odisse, non vllis moueri visis. visorum nomine, vt & M. Cicero, phantasmata accipiunt, & visionem pro phantasia. Quod dum praecipiunt, quantum in ipsis est, cor homini detrahunt, conuelluntq. Lycurgeo more virentes naturae campos, ac vtilia simul, inutiliaq. excindunt. Et quamuis Diuus Augustinus lib. 9. de Ciu. Dei. cap. 4. & lib. 18. cap. 8. & 9. eos a Peripateticis dissentire neget, quod motus turbidos,

dos, prauosq. ſolum tollendos cenſeant, alius tamen eorum fuit ſenſus. teſtatur Cicero 3. Tuſc. mediocritatem quoque affectionum ab ijs damnatam, quod & mediocris morbus nihilominus morbus exiſteret. Seneca eiuſdem ſectator diſciplinae in libro, quem de ira conſcripſit, eam in virum ſapientem cadere negauit; etſi parum ſibi concors in lib.de conſolatione, moderatas affectiones permittit. quid de Epicteto dicam, viro ex eadem familia clariſsimo, doctiſsimoque? Is certe laboranti in malis amico oratione opitulari iubet, & ſi res ferat, externa eiulatione congemiſcere; ſed ne intra animum ingemiſcamus, omnino interdicit. Demum Zeno ſectae princeps, animi affectionem omnem in vniuerſum definiuit, *auerſam a recta ratione contra naturam animi commotionem*; vt in 4. Tuſchulana Tullius refert. Ceterum iſtam animi conſtitutionem, quam ἀπαθείαν appellant, fruſtra inducere nituntur, voto ſuſcepto, cuius damnari non poſsint. Quapropter cum Academicis Peripateticis, omniq. humano genere cenſeo, immoderatas affectiones oportere corrigi; at vbi rationi deſeruiunt, vtiliter retineri; omnino vero ſtirpitus conuelli, nec poſſe, nec expedire. Duo hic mihi probanda: prius illud ſic firmo, Hae affectiones ſunt a natura; nihil vero penitus aſſueſcit contra naturam; neque enim lapidem inſtituas, vt ſurſum verſus feratur ſponte ſua; inanis igitur Stoicorum conatus. Quis enim, dum vritur, non doleat? Quis in funere cariſsimorum

morum pignorum aliquo ſenſu doloris non permoueatur? niſi cui

Stet durus rigido pectore forte ſilex.

Et quidem Stoici tales vellent homines roboreos, marmoreoſue, qui Phalaridis incluſi tauro vocem nullam proferrent, indicem doloris, quaſi ſenſus eſſent omnis expertes. Quod vero poſteriore loco poſuimus, egregie aſſeritur a D. Auguſtino in lib. 14. de ciu. Dei. cum ait. Ciues ſanctae ciuitatis, in huius vitae peregrinatione, ſub Chriſti lege viuentes, metuere, cupere, dolere, gaudere; & niſi hoc fecerint, aduerſari Dei mandatis: id enim debere eos facere, pro quibus, quando, quantum oportet. Suadet adhuc experientia, mortalium functiones affectibus valde iuuari, & promoueri: quae enim deliberauimus, excitato appetitu facilius, maioriq. conatu exequimur. Vnde Homerus.

Virtuti immitte furorem. [& Virgilius.

Acrior ad pugnam redit, & uim ſuſcitat ira.

Peripatetici iram dixere cotem fortitudinis, vt Cicero ſcribit. Luculenter Plutarchus lib. de virtute morum ait; ſi hae affectiones tollantur ex animo, rationem in multis ſegnem futuram; perinde ac nautam a vento, vel aurigam a vehiculo deſtitutum; vtq. in corporibus medicina non quaerit internecionem caloris, vel frigoris, ſed moderationem; ita non eſſe laborandum vt animi affectiones intereant; ſed pacatae, atq. rationi ſubactae in harmonia quadam perſiſtant; his adde, af-

fectus

fectus esse materiam virtutis morum, vti humidum existit pabulum ignis, quo absumpto ille exstinguitur; sic, affectibus conuulsis, virtutem interire, vel, vt ad Peripateticam firmitatem loquar, remanere ociosam. demum appetitus a natura datus est homini, vt obediat rationi; virtus autem perficit, non destruit opera naturae; quare nec lictores hosce rationis e medio tollet; sed corriget, vbi facto opus, reddetq. imperio domini plane subiectos. Sapiens igitur absque vlla imminutione existimationis dolet, laetatur, timet, sperat, irascitur; modo haec faciat ad praescriptum rationis. quare Homerus Iliad. 12. viri fortis officium describturus, non omnem ab eo metum excludit, sed grauem.

Semper at est forti color idem, nec grauis illum
Pertentat metus;] Quod & Plutarchus notauit. Verum vt quae diximus, clarius elucescant, aliquot praeclarorum exempla virorum in medium adducamus. Posthumius dictator filium ad se cũ victoria reuersum securi percuti voluit, quod iniussu ducis, egressus castris, cum hoste pugnasset. ingens opus animi, atque seculis omnibus memorandum; quod nihilominus voce pater imperare potuit; spectare non sustinuit, paternis oculis in clarissima facti admirandi luce, tenebris offusis. hic mollis animi crimen quis, vel iniquissimus iudex, Posthumio obiiciat, quasi victus luctu animus magnitudinem mali perferre visu non tolerauerit? nec mihi Brutum obiicias, qui filio-

rum necem iussit, ficcisq. oculis aspexit. censet enim Plutarchus, illum, filios occidendo, rem perpetrasse, quam nemo, vel laudauerit satis, vel vituperauerit. nam aut virtutis celsitudo sensum omnem animo eius excussit; vel perturbationis moles callum obduxit dolori; neutrum vero vulgaris aut humani est ingenij, sed diuini, vel belluini. haec de Bruti facto Plutarchus. mea vero sententia, improbitas adolescentum, qua patriae seruitutem, parenti, cognatisq. necem fuerant machinati, omnem in paterno pectore caritatem extinxerant; amor in odium verterat, atque iram; vt pater filiorum caedis auctor, spectatorque, animo immoto, esse potuerit; cum impellente odio turpitudinis, & vltionis appetitu, vna affectio aliam pepulisset; vt clauus clauum trudit.

Carolus Card. Borromaeus, cum principatu Pij IV. auunculi rerum summae praeesset, instituerat in Vaticano nobilium ingeniorum Academiam, in qua vices obeundo suas, quantum ingenio polleret, commentando, disputandoq. declararet. exercitationes hasce *noctes* appellauit *Vaticanas*. igitur cum ei quaestio haec enucleanda obtigisset aliquando, stetit quidem a Peripateticis contra Stoicos; verum aegre adeo, atq. vt aiunt, tam *inuita Minerua*, vt palam diceret, se, si licuisset, libentius amplexaturum placita Stoicorum. Iam enim ab illa virente aetate, florentissimoq. rerum statu, suopte ingenio magnis itineribus ferebatur ad plenam animi moderationem; nitebaturq. quantum

tum

tum licebat per publica negotia, vt in arcem illam euaderet multitudini inaccessam. vtebatur asidua Epicteti lectione, eiusq. decreta diligenter obseruabat. Ceterum id ei consilij fuisse, vt illam nemini datam, & omnino inutilem ἀπαθείαν quaereret, non est existimandum. nam & vbi progressu aetatis omnes affectus, seq. ipsum vicisse visus est, nec debitum iure naturae in suos amorem abiecit; nec irasci, quando erat opus, malum duxit; nec in gratiam nobilium hospitum epulis moderatis abstinuit; doluitq. non semel quibus videbatur dolendum; vt omnino a Stoicis illum dissensisse non vno argumento apparuerit. Verum Caroli, erga eiusmodi placitum proni, ea mens fuit; adeo faciles esse mortales ad fraenum affectibus laxandum, vt magis e re nostra futurum videatur, si pro illorum opinione, hactenus ne veritas deseratur, contendamus. vt enim qui ligna distorta dirigunt, non satis habent ea flexisse ad statum, in quo consistere volunt, sed adhuc vltra nituntur in partem aduersam, quo spatium nacta recurrendi, in medio commodius illa subsidant; sic a nimijs animi cupiditatibus quam longisime nos abduci oportet; vt nitente in oppositum natura, medium teneamus. Ita faciundum 2. ethic. in fine. Aristoteles praecipit ijs, qui semitam virtutis de nouo ingrediuntur, vitijs relictis; quod D. Thomas tutius, & efficacius censuit præceptis iubentium, vt a vitio paulatim recedamus, & in dies minus peccemus; via quidem vti planior, sic lon-

gior ad virturem, & quae forte careat exitu. habitus enim siue bonus, siue prauus, assuetudine firmatur; quod ea ne dum contentis gignatur functionibus, verum etiam remissis; adeoque *in paruis assuescere malum est*. Aristotelis vero regula breuior atque firmior; at non nisi magnis ineunda viribus; quod etiam elegantissimo simili docuit Dion Chrisostomus in oratione de virtute. *Vt ignem*, inquit, *si vehementius aggressus fueris, extingues; sin modice inuadas, vreris; sic vitijs coercendis, si paulatim coneris, eorum vi abripere; sin totis viribus oppugnes, quam facillime fregeris*. Sed & militari idipsum exemplo possum confirmare. Spartani minutis praelijs Thebanos infestando, eos de ignauis fecere bellatores. nec ante aduerterunt errorem, quam insigni ab ijs accepta clade, tantum non libertatem, & patriam amiserunt. satius fuisset ab initio imbelles omni conatu opprimere, quod Spartani Graecorum pugnacissimi facile obtinuissent. ita cum vitijs, atque prauis affectionibus agendum; opprimenda illico, ne, dato spatio ad vires resumendas, nos opprimant. iter instituendum ad extrema, vt media consequamur; verum non temere ad quaecumque extrema, sed ad ea solum, quae vel vitijs opponuntur à virtutis medio quam longissime positis; vel aduersantur ijs cupiditatibus, quibus natura magis, & assuetudine mancipamur. igitur intemperans audacter ad scopum illum col

lineabit,

lineabit, qui dicitur immanitas in voluptatibus aſpernandis, donec ſubſidat ventris rabies, inguinisq. ardor deferueat. nec terrebitur appellationis ignominia. Immanitas enim iſta minus a temperantia recedit, quam ei oppoſita intemperantia; noſque, ad voluptatem alioqui procliues, ab eiuſmodi aſperitate ad molliorem conditionem natura ipſa compellit; vnde fit, vt medium teneamus. Nec verendum ne Scyllam, vt dicitur, vitando, incidamus in Charybdin; vel a vitio ad vitium tranſitum faciamus; tum quod, vti docuimus, vel ad extrema iſta non peruadimus, renitente natura; vel vt, vt aliquando ea tetigerimus, moram ibi, eadem repellente, non trahimus; tum etiam quod non omnia extrema ſunt vitioſa, ſed quae rationis tantum regula extrema eſſe demonſtrantur. medium enim quod virtus tangit, rationis, non rei, medium exiſtit; vno excepto iuſtitiae medio. voluptatis eduliorum deſpicientia in extremo eſt; opponiturq. ventris ingluuiei. at in febri, in acie, in publico luctu ijs abſtinere, medium iure dixerim, & virtutis opus. itaque deſpicere ad tempus permiſſas voluptates, donec prauas ab animo miſſas faciamus, medium erit virtuti conſonum. Tibi *Carole Borromee*, qui modeſtiam, continentiam, pietatem haereditario pene iure ab ineunte aetate colueras, non erat opus adeo vehementi contentione domandis cupiditatibus, tantoq.

excursu versus abstinentiae, & asperitatis extrema. tentasti nihilominus quicquid in eo genere vltimum fere homo pati posset; ad victum pane & aqua, ad cubitum stramentis, & quandoq. nudo solo contentus; tot inter diuitias, quibus affluebas, aemulatus, (vt de te concionator eloquentissimus Franciscus Panicarola dixit) canum condicionem; qui ab opulenta domo, in qua degunt, vbi eadem reportant, nil vltra requirunt. a Cerro Physico, viro probo, docto, tibiq. in primis caro, monitus, extrema te sectari, perdereq. valetudinem; respondisti, Medicorum regulas, vulgiq. opiniones a veritate in hoc longe discedere. dictumq. D.Ambrosij decessoris tui de consec. dist. 5. cap. contraria. relatum subiecisti. Contraria diuinae condicioni praecepta medicinae sunt, quae a ieiunio reuocant, lucubrare non sinunt, ab omni intentione meditationis abducunt; ita qui se medicinis dederit, se ipsum sibi abnegat. nec veritus es ne ferus, inhumanus, immanis dicereris. noras enim te, dum appetitiones rationi ad nutum parentes redigere nitebaris, statum quaerere mentium immortalium conditioni proximum; hominis certe maxime proprium. mentis enim, qua distinguimur a belluis, imperare est; appetitus vero, nobis & illis communis, seruire. tu, quod natura obtineri non poterat, industria & labore perfecisti; vt, nedum appetitiones, quae dictata rationis percipiunt, redderes imperanti obsequentes; sed & eas, quae surdae existunt, & irrationa-

rationales eo ipso appellantur, magna ex parte ad libitum flecteres, reiiceresque. famem enim, sitim, somnum, lassitudinem admittebas plerumque, si visum fuisset; sin tempus in meliora insumendum, eadem transferebas ad horas, atq. dies. Haec aduersus nimias animi affectiones remedia sint in communi ad praesens constituta.

CAP. V.

De numero, ordine, atq. distinctione Affectionum.

PLVRES alij faciunt, alij pauciores. Cardanus 14. subtil. ad viginti enumerat. totidem fere Ludouicus Viues. Aristot. 2. eth. vndecim recenset, siue decem, iuxta varias lectiones; vbi tamen doloris, fugae, seu auersationis, spei, verecundiae nullam facit mentionem. at plures esse enumeratis, palam profitetur. idem in 2. lib. de arte dicendi visus est tredecim constituisse; D. Tho. p. 2. q. 23. a. 4. vndecim ponit praecipuas. sex in concupiscente facultate, quinque in irascente. Fracastorius lib. de sympat. decem, seu vndecim facit; sed a D. Thoma in plerisq. recedit. Galenus lib. de curandis animi morbis, ex communi sententia sex esse scribit, quibus sensu proprio duas addit; vehementem scilicet amorem, atq. odium. Nemesius ad quinque reducit. Boëthius quattuor meminit illis versiculis.

Gaudia pelle,
Pelle timorem,

Spemq; fugato,

Nec dolor adsit. [Virgilius totitedem innuit illo carmine.

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque; Spem ponit Boethius; cuius loco cupiditatem Virgilius substituit, consilio vsus meliore. Aduertendum vero est, non solum scriptores istos dissentire de numero affectionum, sed etiam quod alij alias enumerant; & quam vnus praecipuam constituit, alius loco exsturbat, & deiicit. hanc diuersitatem inde natam reor, quod affectionum aliae simplices existunt, aliae compositae; & cum omne, quod componitur, sit in ijs, ex quibus coalescit; his quidem placuit composita seiungere ab elementis, ex quibus constituuntur; illis vero coniungere, & unum facere. huc accedit vocum ambiguitas, quibus vtimur, & abutimur, vt saepe de nomine certetur, cum de re conueniat. Ego vero cum D. Thoma vndecim praecipuas affectiones constituo; amorem, odium; desiderium, fugam, seu auersationem; gaudium, seu delectationem, tristitiam; hasq. in parte concupiscente; in irascente autem spem, desperationem; timorem, audaciam; & iram. amor fons est affectionum quae respiciunt bonum; odium eas fundit, quae occupantur circa malum. amor propensionem refert corporis ad locum; desiderium immitatur motum ad illum; delectatio quietem in loco. odium simile est auersioni corporis a loco sibi minus conueniente; fuga comparatur conatui eiusdem corporis ab eo

loco.

loco recedentis; triſtitia refert detentionem à vi in eodem loco. quare affectiones concupiſcentis partim quietem immitantur, partim motum. Sed quae ſunt iraſcentis omnes ad motum referuntur, ſpectant enim bonum, vel malum arduum, longe poſitum; in quo non poteſt appetitus conquieſcere. Amat quis; &, ſi quod amat, abeſt, deſiderat; ſin adeſt, gaudet, fruiturq. ſi difficultas intercedit, ſperat, audetque. rurſum odit quis malum; id ſi abſens eſt, fugit; ſin praeſens, dolet. ſi ſuperatu arduum intelligit, timet, & quandoq. diffidit. deſperatio enim ſequitur timorem vehementem. vt p.2.q.45.art.2.tradit D.Thomas. Si quae vero boni proſequutionem, vel contrarij fugam moleſtius impediunt, conſurgit ira, & quandoq. ante ſpem, caeterasq. iraſcentis motiones. His adiungo alias minus praecipuas, vel quod ſimplices non ſunt, vel quod parum diſtant a praedictis; verecundiam ſcilicet, impudentiam; aemulationem, contemptum dignitatis; miſericordiam, ſeu miſerationem, indignationem; inuidentiam, peruerſam laetitiam. Neque vero affectiones omnes numerandas ſuſcepimus; quod nimis multae ſunt; & prolixiorem operam poſtulant. Philo lib.de ſacrific.eas cōparauit pecudibus; pauperis vero eſt numerare pecus. quid ſi examini apum ſimiles fecerim? plures certe ſunt, quam communiter feruntur; nec apparent; quod careant nomine, & ad vicinas referantur. Plato in Theaeteto innumeras eſſe ait, nomine carentes. Ariſt. 2. eth. vbi vndecim enumeratis, ſubdit,

eiusdem ordinis ea esse omnia, quaecumque voluptas, vel dolor consequitur, satis magnam illarum esse copiam innuit. Sed, nec in libris de arte dicendi laborauit, vt certum numerum traderet; nec in eo mihi curiosius immorandum; cum praesertim non desint viri magni, qui accurate idipsum se tradidisse putant; quod vtinam praestitissent: nunc vero de propositis singillatim agendum, quarum seriem non fuerit incommodum, aduersariorum more, proposuisse.

Concupiscentis.	
Amor.	Odium.
Desiderium.	Fuga.
Gaudium.	Tristitia.

Irascentis.	
Spes.	Timor.
Audacia.	Desperatio.
Ira.	Mansuetudo.

Mixtae, vel minus praecipuae.	
Verecundia.	Impudentia.
Aemulatio.	Contempus dignitatis.
Misericordia.	Indignatio.
Inuidentia.	Peruersa laetitia.

Verecundia est aegritudo cum timore dedecoris. Aemulatio est conatus nascens ex aegritudine, ac spe. Indignatio constat ira & aegritudine;

dine; ac misericordiae opponitur, vt Aristot. tradit 2. Rhet. Inuidentia & ipsa ab aegritudine proficiscitur. Peruersa laetitia non admodum abest à voluptate, ut suis locis explicabimus. Poterant aliter haec paria componi: vni enim plura contraria, vt libro 3. Ethic. Aristot. docuit. sed hoc ordine collocasse magis nostro instituto conducit.

Distinguntur autem iuxta rerum, circa quas occupantur diuersitatem; siue sint re ipsa plures; siue eaedem alio, & alio modo acceptae; tum etiam ex varietate facultatum appetentium, a quibus excitantur. nam circa idem bonum tum amor versatur, tum ceterae affectiones, quae tendunt ad bonum. opponuntur vero diuersimode; quae sunt in concupiscente, iuxta res, in quibus occupantur; bonum scilicet, & malum; quae vero in irascente, tum ad praedictum modum, vt spes & metus; tum per recessum & accessum ad eundem terminum; vt audacia & timor. audax enim malum intuetur quod a se confidit superatum iri; meticulosus idem respicit malum, cui & succumbit; indeq. recedit. Hanc postremam oppositionem concupiscens vis non agnoscit. respicit enim bonum malumue simpliciter. nemo autem bonum fugit, vel malum appetit, vt erudite, more suo, docuit D. Thomas par. 2. quaest. 23. art. 2.

Amor itaque, desiderium, gaudium, etsi specie differant, nihilominus vbi feruntur in idem bonum, non opponuntur inuicem. ab odio vero,

ro, auersatione, tristitia, & specie distinguuntur, & vti contraria, quam longissime recedunt; idemq. de his tum in se consideratis, tum vice versa cum illis comparatis, existimandum. dolet ergo quis malum amici; de eodem iuxta eundem modum sumpto simul gaudere non valet; neque enim eodem tempore, eademq. ratione quid bonum, & malum censeri potest. at si ferantur in res contrarias mutuo se consequuntur, iuuantque, vt voluptas de bonis, dolor de malis amici. si demum respiciunt res diuersas illas quidem, &, ut Philosophi loquuntur, disparatas, non contrarias; una aliam nec sequitur nec excludit. quae omnia docte admodum annotantur a D. Thoma q. 35. Et quae bonum spectant sunt natura priores ijs, quae malum respiciunt; bonum enim est malo, & priuatione antiquius. quae adhuc ad concupiscentem attinent, ijs antecedunt, quae ad irascentem; quod illae bonum simpliciter respectant; hae bonum impeditum. sed motae confunduntur; ut posterior interdum priori anteuertat. spes enim praeit gaudio; timor tristitiae; perinde ac motus quieti: ut fuse uidere est apud D. Thomam p. 2. q. 25. art. 1. statum itaque nullum tuentur ordinem, praeter illas principes, odium dico & amorem, quae semper ceteras antecedunt, si minus actu expresso, at saltim ui, & potestate.

Vti uero commoueantur non ab re fuerit per singulorum explicationem quasi oculis subiicere. Mouentur sensus extimi a rebus externis, ut a

moue-

mouente immoto, quarum simulacra per sensum, qui communis uocatur, & uisionem seu phantasiam ad existimandi facultatem transmittuntur; uti speculatoriae turres ad littora maris fumo, uel igne una alteri dant signum, adesse naues praedatrices; breuiq. nuncius in immensum procurrit. Sic in hominis cerebro hae rerum imagines decurrunt, donec a ui existimante deferantur ad cogitatiuam, & uoluntatem, cuius est assentiri, uel abnuere; sequiturq. motus inferioris appetitus ad uoluntatis placitum se accommodantis; tum sanguinis, & humorum commotio, nunc ad compressionem, nunc ad effusionem; pro ut de bono, uel malo negotium existit. qui hunc ordinem tuetur animus, optima fruitur constitutione. Sed ut in corpore animalis humorum harmonia saepe confunditur, ac bilis irrumpit in sedem sanguinis, naturaeq. confundit ordinem; sic non semel inferior appetitus superiori anteuertit; ac insurgit continuo post existimationem, non exspectato iudicio rationis, & imperio uoluntatis; facitq. ut ille praeproperus, aut nequam seruus, qui propositum ante perficit, quam prohiberi possit a domino.

C A P.

CAP. VI.

De vtilitate huius disputationis.

TANTA vis est perturbationum animi, vt saepe hominem de mente deiiciant, & prosternant; illud certe consequuntur, vt summopere infestent, ac perturbent. at si domentur; leniter, & sine vi, atque tumultu placidiores insurgunt. Iamblicus lib. de mister. eas appellauit *clauos, quibus corpori animus ceu patibulo affigitur*. dirum spectaculum, animum hominis rerum dominum seruili supplicio damnatum intueri, quasi Prometheum affixum caucaso. Sed commodius exemplum ad impetum illarum exprimendum a mari licet accipere, quod interdum occupatur malacia, nullo nauigantium vsu; interdum perflatur aura, vel vento non vehementissimo; tempestate ad nauigandum idonea, vbi clauus, atque nauis in potestate sunt gubernatoris. alias violentiore turbatur vento; quod etsi ad celeritatem confert nauigationis, res tamen est periculi plena, ne nauis impetu deprimatur, vel in aestuaria, breuiaq. compellatur. quandoque demum flatibus vehementissimis compluribus ab imo verritur, attolliturq. in fluctus ingentes, ac praesentem perniciem intentat nauigantibus. animum hominis mari, mentem naui, affectiones ventis non insulse comparaueris. ociatur aliquando deses animus, atq. torpescit, destitutus

omni aura appetitionum; eundem torporis habitum mens ſuſcipit; laudem, gratiam, dignitatem nihili penſi habet, incuria atq. ſocordia. leniter alias hae incitantur amore, odio, cupiditate, iracundia, ea lege, vt rationem ſequantur ducem, nec ei praeire audeant. compellunt interdum, & vrgent rationem vehementius; nec opprimunt ab initio; quin comitem habere gaudent; ſed periculum imminet, ne in progreſſu obruant & peſſundent. demum quaſi ex compoſito ſaepe conſurgunt, magno numero, ad mentem proſternendum; ſibiq. principatum aſſumunt, vt ille qui apud Homerum.

Iura negat ſibi data, nihil non arrogat armis.

Tunc animus preda fit perturbationum; ſeruitq. dominis iniquiſsimis, ac tantum non.

Sua cuiq. Deus fit dira cupido.

Haec igitur praecipua maximaq. nobis ex labore ſuſcepto vtilitas exiſtat, prohibuiſſe procellas, & flatus infeſtos ab inconſtanti humanae vitae ſalo; immanes feras ex animo eieciſſe; quin liberaſſe meliorem noſtri partem ſupplicio crucis. Sed & omnium pene diſciplinarum ſtudio haec eadem confert diſputatio. multus de his Theologo ſermo, vbi differit de bonitate prauitateq. functionum humanarum; quod eae ſint aliquando agendi principia, minuantq. laudem & infamiam; aliquando ſequantur actiones, augeantq. quod minuiſſent, ſi antea fuiſſent exortae. Orator flectendorum animorum magiſter, hanc ſibi cognitio-

nem

nem quasi propriam ducit. Quid de his dicam, qui rimantur occulta naturae, atque rerum caussas inuestigant? quantum egent disciplina, qua motus animi componant, & illatam abigant molestiam, ne à contemplatione retardentur? Iam vero qui legibus condendis, vel interpretandis, atque iuri diucundo, erratisq. emendandis, vel remittendis praesunt quam curiose affectuum momenta perpendunt; fuerint ne pacato animo, an perturbato patrata? quid porro eos mouit, vt donationes inter virum, & vxorem constante matrimonio inanes esse vellent, nisi quod impetus amoris, quo nihil est vehementius, cuiq. resistere, vt ait Imperator Aut. quib. mod. nat. eff. legit. collat. 6. perfectae est Philosophiae, hominem de mente deiicit, prohibetq. ne sibi possit consulere? quanta vero lenitate delicta ob doloris, aut iracundiae impetum admissa sint punienda, satis legibus declararunt suis, & iudicijs comprobarunt vt l. aut facta §. caussa. ff. de poen. & alibi. saepe videre licet. Mulierem, quae fuste matrem percusserat, interemeratque, dolore necatorum liberorum, quos auia filiae infensa sustulerat, M. Popilius praetor neque damnauit, neque absoluit, vt auctor est Valer. Max. lib. 8. cap. 1. In simili caussa, Gell. l. 12. cap. 7. referente, mulierem, illatae filio atque marito caedis, vt necem alterius filij vlcisceretur, delatam, Dolabella ad Areopagum reiecit. iudices, nec liberare bina caede contaminatam, nec iusto dolore impulsam punire ausi, accusatorem &

ream

ream ad centum annos vadati sunt; ijs decursis redire iusserunt iudicij finem rescituros. firmiore animo censuit Senatus matris & adulteri necem Fabriciano fraudi esse non debere, quod patris mortem vlturus, vtrũque sustulisset vt Plutarch. in parall. ex Dositheo lib. 3. rerum Italicarum, testatur. eius moris auctor antiquissimus Moses habetur, cum Deuter. cap. 19. Sanxit, mitius puniendum illum, qui dolore adactus proximi sui interfectorem occidisset. praeclare Ouidius 4. Metam.

amor excusare dolorem,
Indiciumq. dolor poterat.

In morborum vero curationibus, atque tuenda valetudine, quam praecipuas haec sibi partes cognitio vendicet, superuacaneum censeo accuratius explicare. docet experientia pulsis animi molestijs, grauissimos a corpore morbos abscedere. Galenus lib. de ludo paruae sphaerae. gloriatur se quotannis aegros non paucos sanare solitum non alio pharmaco, quam motibus animi ad quietem reuocatis. Antiochus Demetrij filius morbo tenebatur, cuius neque initia, neque caussae, nec proinde remedia dispicerentur. festinabat interim infelix adolescens ad interitum, desperata salute. vnus e magna medicorum turba Erasistratus aegritudinis caussam comperit, amorem nouercae; cuius per connubium a parente copia facta, Antiochus illico conualuit. Chiron Medicus, Heroum in monte Pelio institutor, ita eos venationibus, cursibus, purioribus cibis a corporis

morbis tuebatur, vt maiorem vna curam gereret animorum; ne quid illis contingeret deterius, si non rationi parerent, aut minus fortiter affectibus resisterent, vt Maximus Tyrius de illo scriptum reliquit. Haec vero animorum sanandorum ratio pluris facienda est, quam quae opem fert corporibus; quod animi morbi ceteris existant periculosiores. corporis enim morbos ratio sana percipit, atque curat; mens aegra vt morbum ipsa suum ob laesionem, & alienationem non agnoscit, sic nullatenus curare potest.

DE AMORE.

CAP. PRIMVM.

Ex dictis antiquorum ostenditur, quanta sit eius vis, atque praestantia.

PRINCIPEM in hac disputatione sibi locum amor vendicat, quod fons sit affectionum, quae bonum spectant; iuxta illud Parmenidis;

Cunctorumq. Deum primum quaesiuit amorem,

nec non vi atque potestate ijs antecellat. ideo rerum dominus, ferorum cordium mollitor, alijsq. honorarijs principatus nominibus appellatur. quippe fera non est adeo immanis, quae conspecto foetu non mitescat. antiquissimi mortales, homines agrestes atque truces, liberorum illecebris, & amore deliniri coeperunt, vt cecinit Lucretius;

Et Venus imminuit vires, pueriq. parentum
Blanditijs facile ingenium fregere superbum.

Plato in symposio amorem dixit magnum daemona, praesidentem rebus humanis; quod eius ductu omnia gignantur. Orpheus eundem asseruit

claues habere superorum & inferorum, quod artis & naturae opus quodcumque extrudat in lucem; vnde inuentoris artium, atque magistri appellationem obtinuit. ferunt Poetae, solis amantibus a Plutone reditum ad nos concedi; cum in ceteros existat implacabilis; & solo stricto iure, vt Sophocles ait, vtatur. quid ni? cum sub tutela sint eius, quem claues tenere, atque inferna suo arbitratu referare fabulantur? Hesiodus mortalium & immortalium mentes amore domari cecinit. Homerus Iouem eiusdem mancipium fecit. Plutarchus in Amatorio amorem cōparat Dictatori, quo creato cessant omnes magistratus. Iudices criminum, conscij vehemētissimae perturbationis delicta nō pauca vel impunita, vel leuissime castigata dimisere runt, quod amoris impulsu admissa constaret; idq. non semel hoc seculo factitatum testantur ij, qui de criminibus vindicandis conscribunt. Selethum Crotoniatam depraehēsum in adulterio fraternae vxoris, cum se amore victum peccasse diceret, a ciuibus suis exulare iussum in lib. pro mercede conductis refert Lucianus, capitis poena remissa; sed illum, seu pudore violatae germanitatis, seu legum amore, quas nollet labefactatas, in ignem sponte insiluisse, ac poenam subiisse, quam ipse met statuerat in adulteros. Mundus, equestris militiae ductor sub Tyberio, Paulinam Romanam deperibat; eam stuprauit in templo Isidis; sacerdotibus pecunia corruptis. facinore comperto, Tyberius in crucem Sacerdotes egit, templum euertit, Deae

statuam

ſtatuam in Tyberim coniecit; Mundum vero exilio punire ſatis habuit; quod, amoris vehementia ſuperatus, peccaſſet. Charmo, vim amoris edoctus, illi aram in Academiae ingreſſu excitauit. Athenienſes ſtatuam dicarunt in templo Palladis, ceu amico bonarum artium; remq. ei diuinam inſtituerunt, Erotidia, nuncupatam: Samij in eiuſdem honorem Eleutheria ſacra habuerunt.

Anterota quoque finxit, coluitq. mendax graecorum antiquitas, ex Venere, & Marte natum; vt eſt apud Ciceronem. 3. de natura Deorum. In Themiſtij ſermonibus Themis Dea hortatur Venerem, vt Anterota gignat, ſi amorem adoleſcere, non perpetuo puſionem eſſe velit. Hinc Ouid. *Alma faue dixi geminorum mater amorum.* & Horat. *Mater saeua cupidinum.* quo loco haeret Lambinus ob Anterotos vel obliuionem, vel incogitantiam: In Gymnaſio Eleorum erant vtriuſq. icones; Eros palmaceum ramum tenebat, quem Anteros nitebatur eripere; amicitiae, vti reor, ſimul lacrum. amici enim ita ſe mutuo diligũt, vt in amore alter alteri praeire ſtudeat. Creſcit Eros Anterotos ortu; quod reciproco amore amans animatur & accenditur magis ad amandum.

Eſt autem haec de amore diſputatio non paruifacienda; quam Socrates auide cõſectatur; & cum ſe reliquorum omnium profiteatur ignarum, egregium tamen amatorem iactat, & haberi ſtudet. Neque vero quis illũ hic arguat impuritatis. adeo enim caſte amauit, vt nec ſycophantae acerbiſsimi

tus, & Melitus impudicas ei obiecerint amores; nec Ariſtophanes, eidem inimiciſsimus, tali accuſatione hominem pupugerit; & cum pauperem, loquacem, ſophiſtam appellaſſet in ſcaena; impurum certe amatorem dicere nec potuit, nec auſus fuit. Phaedrus amorem maximorum bonorum cauſſam appellauit; quod ab eo ſtudium in honeſtis, verecūdia in turpibus immittatur. Spartiatae cum hoſtibus congreſſuri, ſacrificabant amori, quaſi ad fortia egregiaq. impulſori; quem morem, vt pleroſq. alios, a Cretenſibus eos accepiſſe, arbitror. eodem enim inſtituto Cretenſes ex parte vſos, Soſicrates eſt auctor. Inde factum cenſeo, vt ſacra, quae appellabatur Thebanorum cohors, conflata ex amatoribus, fregerit Spartanos. nec inutile fuerit in acie illos, qui ſe mutuo diligunt, ſtatuere vicinos; parentes, liberos, fratres, conſanguineos, amicos; exercitus enim eiuſmodi a pleriſq. cenſetur inſuperabilis. notum eſt feſtiuum illud Pammenis dictum a Plutarcho in Pelopida relatum; ignoraſſe Homerum vti foret acies inſtruenda, cum iubet,

Et tribui tribus, & ſua curia curiae vt adſit,

Cum amicus apud amicum potius locandus videatur. Scribit Xenophon Aſiaticos in bello circumduxiſſe vxores & natos, vt eos defendere coacti, fierent pugnaciores. Eorundem occurſu reſtitutas acies non paucas, & victoriam conſequutas, legimus. demum, cum Harmoniam Marte ac Venere prognatam fabulae tradunt, eandem amo

ris

ris in re bellica vim describunt. Verum ad solidam amoris commendationem nihil maius, vel accommodatius afferri potest, quam quod magnus Areopagita protulit; amore superiora ad inferiorum prouidentiam allici; haec vero, quasi fomite igneo succensa, resilire, atque ad superna conuerti; fieriq. circulum a bono, per bonum, in bonum perpetuo reuolutum. Proclus quoque pulchrum amoris protulit elogium; esse illum caussam conuersionis rerum omnium in primam pulchritudinem; quae de purissimo sanctissimoq. in Deum, ipsumq bonum amore dicta, ad mortales fluxasq. curas traduci accomodariq. non possunt. Carolus Cardinalis vim amoris erga consanguineos perpetuo habuit suspectam; eosq. aliquid postulaturos libentius audiebat per internuncios; veritus, ne sanguinis impulsu ad res iniquas concedendas imprudens adigeretur.

CAP. II.

Explicantur varia nomina huius affectionis, & quotuplex sit, declaratur.

NE laboremus ambiguitate vocum, quae varijs amoris nominibus subiecta notio sit, primo loco dispiciamus; quid scilicet inter amorem, dilectionem, caritatem, pietatem, cultum, amicitiam, beneuolentiam intersit. Amor est vt genus, & quid vniuersum; locum enim habet tum in homine, tum in brutis. dilectio est amor cum electione, vt nomen

indicat; nec reperitur in ijs, quae non deliberant. caritas fertur in res pretiosas; distinguere vero pretiosa a vulgaribus vnius est mentis. pietas est in superiores, quod bruta vt plurimum non agnoscunt; hi sunt Deus, patria, parentes. cultus est signum pietatis. amicitia est amor mutuus, hinc inde perspectus, officijs confirmatus. beneuolentia est effectus amoris. alias pro leui amore vsurpatur; vt lib. 9. ad Nicom. cap. 5. hactenus de nomine.

Amor duplicis generis existit; alter naturam sequitur, alter agnitionem. ille rebus omnibus inest, etiam inanimis; hic animantium proprius. de illo Hesiodus intelligendus, cum in Theogonia, primo loco factum Caos cecinit, post terram, & Tartarũ; tertio amorem, ex terra Caoq. ortum. quis non videat hic accipi amorem pro vi rei cuilibet a natura indita, vt seipsã, quo ad potest, expoliat, & tueatur? quod & Orpheus voluit, cum amorem *immortalitatis desiderium* appellauit. fuit enim veterum poetarum haec de rerum ortu sententia; cunctas species, in obscura, & confusa deformitate implicatas, ab initio iacuisse; tũ desiderio lucis, & quietis, impellente amore sui, disiunctas, ad sedes naturae conuenientes migrasse; vnde rerum vniuersitas, in ordinem disposita, constiterit. Empedoclea rerum principia, litem & amicitiam, non alio, quam ad isthaec poetarum commenta spectasse dixerim. Amor vero, qui agnitionem sequitur, & affectio est animi; si ad honesta fertur, retinet

appel-

appellationem; sin ad impudicitiam, vel immoderatum appetitum delabitur, significantius libido, vel cupido ab effectu nuncupatur. Poetae dum amorem appellant, & describunt, eam potissime cupidinem accipiunt, quae in Venerem fertur; & sub inuolucris fabularum multa recondunt ad rei, de qua agitur, notitiam, attinentia. Puerum igitur describunt, nudum, alatum, caecum, curarum plenum, arcu, & sagittis instructum; satum Venere atque Vulcano. puerum constituunt, ob insipientiam; nudum, propter infelicem condicionem; seu quod occultari facile nequit; alatum, quod cito aduenit, citius labitur; caecum, vel ob impudentiam, (est quippe pudor in oculis,) vel quod mortales plerumque amant sine delectu, sine iudicio, sine ratione; & quasi oculis capti sectantur deteriora, melioribus omissis; plenum curarum, quia eius arboris hi existunt fructus; instructum arcu & sagittis; ferit enim curis aegritudine plenis; Venere demum & Vulcacano satum, humore scilicet, & calore; quod ea temperatio censetur apprime libidinosa. Hunc eundem Cupidinem ex nocte atque aethere natum voluit Acusilaus; hoc est, ex tenebroso & lucido; amantes enim caeci sunt, & vna vident acutissime. Simonides ex Venere, ac Marte procreat; quod viri bellicosi a Venere plerumque non abhorrent. Alcaeus ex lite & Zephiro; dissensione scilicet, ac reditu in gratiam;

Olen Lycius ex Ilythia, seu Iunone Lucina, quod ea maxime amemus, quae a nobis prodeunt. Ilythia enim partubus opitulari credebatur. Sappho demum ex caelo & Venere; quod amorem vi stellarum, & gratia oris conciliari multis fuerit persuasum. Pictores multos pingunt amores, paruulos, colludentes, cursitantes, (quos Poetae faciunt Nympharum filios) quoniam multa sunt, quibus inaescamur, & capimur; vt notauit Philostratus in imaginibus. Diotima mulier saga, sybillis a Socrate comparata, a qua amandi artem se hausisse profitetur, amorem ex copia procreat, tanquam ex patre; & indigentia, tanquam matre. vt est inopiae ac indigentiae filius, apparet aridus, macilentus, squallidus, nudus pedes, humilis, sine domicilio, sine stramentis, ac tegmine vllo; pernoctans sub dio; semper egens. idem qua copiae filius, virilis, ferox, callidus, insidiator, pulcher, sagax, venator, prudens, facundus, per omnem vitam philosophans, potens fascinator; vt non immerito *bigenius* ab Orpheo sit appellatus, vt refert Pausanias apud Platonem. Huius fabulae haec est allegoria. vulgo amari, quae nec omnino sunt in potestate nostra (cito enim ea vilescunt,) nec diffidimus aliquando futura. ideo copiam & indigentiam amoris vulgaris parentes ponit Diotima. quae vero inter se valde pugnantia eidem adscribit, affectus indicant eorum, qui re amata potiuntur, contrarios ijs, qui insunt non potientibus. Hactenus de fabulis;

bulis; in quibus illud magnopere damnandum, quod cupidinem Deum faciunt, vt libidini patrocinentur. damnat hoc ipſum Phaedrae nutrix apud Senecam in Hyppol.

Deum eſse amorem, turpiter vitio fauens
Finxit libido; quoque liberior foret,
Titulum furori numinis falſi addidit.

Cetera vero fabulis contenta non inutiles ad hanc luem arcendam continent admonitiones.

Admittit quoque amor, qui agnitionem ſequitur, aliam partitionem. eſt enim amor amicitiae dictus, atque beneuolentiae, qui rei amatae commodum intuetur; eſt amor cupiditatis, qui proprium commodum reſpicit. ſibi enim multi amāt; eoq. amorem traducunt, vnde vtilitatis aliquid ſe percepturos confidunt: amor iſte amicitiam parit vtili innixam; ſuperior vero eam producit, quae ab honeſto promanat. Poſtremo Amorem vnum facere, qui feratur in diuinam pulchritudinem, alium, qui ſiſtat in humana, non eſt praeſentis inſtituti. agimus enim de affectionibus inferioris animae partis; etſi non pauca ſint vtriq. amori communia; & pleraq. vnius per analogiam, & metaphoram, ad alium transferantur.

CAP.

CAP. III.

Quid sit amor.

PLATO amorem dixit, *desiderium pulchri*. Aristoteles amare, ac beneuelle pro eodem accipit lib. 2. de arte dicendi. id Rhetori satis, qui affectus vti commoueantur, nosse studet; limatiorem cognitionem ad philosophum remittit. D. Augustinus 8. de Trin. cap. 10. censet esse *iuncturam duo copulantem*; in quam sententiam Leo Hebraeus ait, *esse voluntarium affectum quamcopulatissime fruendi ijs, quae bona iudicamus*. descriptiones hae sunt, ab effectu petitae; non quae amoris explicent naturam, finitiones. nam desiderium, beneuolentia, appetitus copulae cum re amata sequūtur amorem; vbi enim quem amo, eidem bene esse cupio, eiusq. consuetudinem appeto. D. Thomas definit esse complacentiam appetibilis. allubescentiam appellat Ludouicus Viues, qua amatum amanti allubescit. hanc sententiam ita demum recipio, si allubescentia, & quae minus latine, significantius tamen, complacentia dicitur, pro motione illa sumatur, quam appetens facultas elicit circa rem, quae illi allubescit; non pro illecebra appetibilis, qua excitat mouetq. appetitum. affectiones namq. animi sunt ab appetitu, vt a mouente moto; quod Aristoteles voluisse videtur tertio de anima t. 54. Gregorius Nyssaenus eleganter id ipsum expressit homil. 8.

mil. 8. in Eccleſiaſten, cum ait, amorem eſſe habitudinem animi intimam in id, quod animo eſt iucundum. feliciter quoque D. Auguſtinus 2. de ciu.cap.28. amorem ponderi corporum comparauit, inquiens, Animum ferri amore quocumque fertur, vt corpus pondere. Neque vero exiſtimandum iſtam complacentiam eſſe cauſſam amoris. nam inter cauſſas rerum, & ipſarum primos effectus datur neceſſario medium; idq. vnum,& ſolũ, nempe res ipſae; ſed inter appetitionem potiundi re amata, (haec prima eſt amoris proles, adeoq. illi affixa, vt ſaepe pro amore vſurpetur) & complacẽtiam nihil omnino intercedit; igitur complacentia non eſt amoris cauſſa, ſed ipſe amor; quandoquidem primus amoris effectus, eam illico ſequitur, adeoq. inuicẽ haerẽt, vt ne tenuiſsimo quidem cuneo praebeant aditum. praeterea ſi haec D. Thom. finitio excludatur, nihil remanet in quo amoris naturam cõſtituamus, praeterquã in deſiderio, ſeu cupiditate fruẽdi. id ſi admittatur, amor & deſiderium confunduntur. at ſunt ſeparatae affectiones; re enim praeſente ceſſat deſideriũ; amor vero natura ſua magis augeſcit. nã ſi ſatietas amantem capit, culpa eſt humani ingenij, quod vel mutatione delectatur, vel voluptates impuras perſequitur; ſincera autẽ voluptas non parit faſtidium. deniq. deſideriũ eſſe amoris effectũ Ariſt. docet li. 9. Et. c. 5. vbi agens de beneuolẽtia, vt eſt leuis amor, minimeq. adulta affectio ait, *Beneuolẽtia nõ eſt amatio; neq. enim* διάτασιν *habet neq.* ὄρεξιν, *quae amationẽ*

conſe-

consequuntur. ὄρεξις desiderium est; seu vehemens & acuta appetitio, quam Iuuenalis cum rabie coniunxit, inquiens, *rabidam facturus orexim*. cum igitur ὄρεξις consequatur amorem, ab eo necessario distinguetur; Quod autem subiicit Aristot. eum qui forma delectatur non continuo amare, sed tum demum, cum absentem desiderat, & praesentem cupit, ita est accipiendum; vt amori desiderium comitetur necessario, sitq. eius indicium. leuis enim voluptas non arguit amorem. qui vero cupit & desiderat, se prodit amatorem. est igitur amor appetitus allubescentia, seu complacentia in eo, quod vti bonum pulchrumue fuerit perceptum.

CAP. IV.

De caussis Amoris.

BONVM integra est amoris caussa, & omnem eius exaequat ambitum. praeclare igitur D. Augustinus 8. de Trinit. ait, *non amatur nisi bonum*. huc pulchrum reducitur & formosum; tum etiam vtile quodcumque, atque iucundum. pulchrum vero idem est, quod bonum conceptum vti iucundum; vt Areopagita docet 4. de Diu. nomin. Deus quippe immortalis, vt est auctor atque seruator rerum,

Cuncta fouens, atque ipse ferens super omnia sese,

bonum dicitur; vt vero ad se trahit, allicitq. omnia, pulchrum. inde qui pulchritudine minus capiuntur,

piuntur, minus amant; vt barbari, ruſtici, & qui duriore ſunt ingenio, & moribus aſperis.

Aliae ſunt amoris cauſſae, quae etſi boni ambitu continentur, ſeparatim nihilominus ponuntur, quod aliquid bono addant; & alia, atque alia ratione ad amorem conciliandum concurrant. Similitudo igitur morum, & ingenij amorem parit firmum, atque conſtantem. docuit hoc Areopagita; fuitq. Menandri dictum, a comicis & Platone vſurpatum, *Deus ſemper ſimilem ducit ad ſimilem.* & quidem ſimilitudine inter amantes conuenit, vt cum amans diligit, ſui ipſius ſimilitudinem, ac proinde ſe ipſum, in re amata diligat. hinc animantia omnia ducuntur ad ſimiles ſibi formas; non ad ſpecies alienas. *Canis cani videtur pulcherrima, & boui bos*, ait Epicharmus. & *Formica grata eſt formicae; cicada cicadae; accipiter placet accipitri*, Theocritus inquit in Idillijs. hoc inſtinctu parentum amor in liberos augetur; ſunt enim nati viuentia ſpirantiaq. parentum ſimulacra. nec alia Craſsi erga Sulpitium volũtatis cauſſa exiſtit, quam quod intellexiſſet, ſtudere Sulpitium, vt ei dicendo ſimilis euaderet.

Euander apud Virgiliũ Pallanta filium Aeneae carũ reddere nititur, quod illius ſit imitator futurus.

Hunc tibi praeterea, ſpes & ſolatia noſtri,
Pallanta adiungam; ſub te tolerare magiſtro
Militiam, & graue Martis opus, tua cernere facta,
Aſſueſcat; primis & te miretur ab annis.

Illud non fuerim inficiatus; ob paria vitae inſtitu-

ta creari aliquando inuidiam, fieriq. aliquos adeo inimicos, quam ſunt artificij conditione pares; nam *& figulo figulus, & fabro faber inuidet*; cuiuſmodi genus pugnacium artificum in conuiuijs Plutarchus coniungi vetat. verum ex euentu id eſt. cum enim lucro faciendo impediant ſe mutuo, inter eos oritur contentio. eadem ceſſat vbi cauetur, ne alter alterius cauſſa damnum patiatur; eiusq. loco amicitia ſuboritur. M. Cicero profeſſus eſt, cum Q. Hortenſio de eloquentiae palma ita ſe contendiſſe, vt vnius ad laudem curſus non eſſet ab alio impeditus; ac proinde viuentem amaſſe, dolereq. vita functum. Saepe etiam qui ſtudijs diuerſis priuatim viuunt, ſed in maioris momenti rebus conueniunt, ſunt amiciſsimi. Pelopidas, & Epaminundas, etſi vita priuata eſſent diſsimiles, quod hic ſtudijs philoſophiae, ille venationibus profuſius incumberent, quod tamen aſſerenda patriae libertate, incredibilem animorum conſenſionem retinuerint, certa illis amicitia conſtitit ab initio ad finem.

Sunt etiam ingenia inter ſe diſsimilia, quae nihilominus coëunt facile ad vitae ſocietatē; hoc enim habent, vt ſimul aptari, & componi poſsint, quemadmodum vox acuta iuncta graui certa proportione, harmoniam efficit; quod ſpectare licuit in Socrate, & Alcibiade.

Conſuetudo quoque, atque conuictus amorem gignit, reddit enim homines moribus iiſdem aſſuetos, ac vnius mentis. eaq. vis eſt conſuetudinis,

vt

vt habitum ne dum animi, ſed corporis quoque immutet ad rei amatae formam. notauit id Plutarchus in Alexandri amicis, quos leniter inflexa ceruice, facie ſurſum verſus conuerſa ſolitos incedere, ſcribit, quaſi Alexandro aſſentaturos; cum nihilominus vi aſſuetudinis habitum illum imprudentes contraxiſſent. Summopere igitur aduertendum, quo cum vitae ſocietatem ineas; praecipue vero monendi adoleſcentes meretricum coenis, noctibus, omniq. conuictu abſtineant, quibus illae magnopere ſtudent; cum norint conſuetudine amoris vincula fieri tenaciora.

Parem amoris conciliandi vim ſocietas in honoribus, & rebus, tum ſecundis, tum aduerſis habet, & quandoque maiorem. vt enim maximum amoris vinculum ducitur, plurima & maxima beneficia accepiſſe, ſic ſimul accepiſſe, proximum iudicari debet. Qui ſimul fecere naufragium, vel vna pertulere vincula, vel conſilij alicuius, coniurationiſue ſocietate iunguntur, facile amant inuicem. Vnde adagium, *Conciliant homines mala*. Brutum, & Caſsium inuicem infenſos Caeſarianus dominatus conciliauit; ac ſumma fide coniunxit. M. Aemilius Lepidus, & Iulius Flaccus, cum eſſent inimiciſsimi, Cenſores renunciati, ſimultates illico depoſuere. Tacitus, Latiaris atque Sabini ſermones, quibus vetita miſcuerant, arctae amicitiae ſpeciem feciſſe, annotauit; ſpeciem dixit; nam vt plurimum participes ſcelerum non tam amore copulantur, quam metu, atque noxa

conſcientiae. Sunt etiam qui exiſtiment, vi quadam occulta necti animos; vel diſiungi. quidam enim primo aſpectu amantur ab omnibus; alij contra contemnuntur. inter aliquos ſtatim conuenit; alios nulla beneficiorum, officiorumq. conſuetudo conciliat; nec vnde voluntatum iſthaec diſcrepantia naſcatur, liquet. nulla enim hic morum ſimilitudo, nulla vitae communitas. Aſtronomi, vt nodum hunc ſoluant, ad Venerem, ceteraq. aſtra, quae benigna vocant, confugiunt; quibus homines ad amandum inuitari volunt. haec, vti longe a nobis poſita, neque certam habent fidem, neque manifeſtum errorem. Platonica ſchola Daemonibus adſcribit, qui vitae hominum praeſunt. facit enim daemonum, hos quidem conſimilis ingenij, hos diuerſi. qui diſsident inter ſeſe, diſſenſiones ad clientelas deducunt; qui vna ſentiunt, amorem iis immittunt, quorum gerunt procurationem. demum nonnulli gratia pollent, & auctoritate; alij odio habentur a collegis; qui vtriſque ſubſunt homines, eandem quoque gratiam inuidiamq. apud nos nanciſcũtur. iſthaec Platonicorum commenta non aliter confutarim, quam quod tollunt functiones humanas; quodq. hominis eſt, externae cauſſae adſcribunt; atque hominum vitae ducatum peruerſe daemonibus attribuunt. Igitur comitate morum, ingenij elegantia, venuſtate oris gratiam comparari dixerim; amariq. vulgo homines officioſos, temperantes, contentos rebus ſuis, procul a ſtrepitu poſitos, ambi-

ambituq. fori, & aulae; (qua de caussa Epaminundas, interfectis Thebanis optimatibus, seruatus est ab ijs, qui Reipub. dominatum inuaserant) tum qui non sunt faciles ad repraehendendum, si quid peccatum est; nec Stoico supercilio, virgulaq. vtuntur censoria; nec lites amant, atque contentiones; quo vitio Graecos laborasse testatur Crassus apud Ciceronem. Sed & eos, qui bona nostra laudant, praesertim quae veremur, an in nobis existant, diligimus, quasi benefactores, quod metum illum nobis ademerint. quare Isócrates Daemonico praecipit, vt, cum alicuius amicitiam comparare studet, illum laudet; quod laus initium amicitiae sit, vituperatio simultatum. Vestitus quoque, cultus, apparatus, munditiaeq. omnis vitae ad idem valent; etsi exquisitam nimis in eo genere diligentiam Tullius odiosam afferit; quo nomine Hortensius a Torquato agrestis ingenij viro *saltatrix Dionysia* dictus est. his eos adiunge, qui non exprobrant collata beneficia; qui sunt placabiles, & memoriam abiiciunt iniuriarum; non obseruant aliorum errata, nec secreta rimantur alienae domus; nec ventos imitantur illos, qui pallia de dorso reuellunt, suntq. ea caussa molestiores; hos diligimus, quod tales in nos futuros censemus, quales videmus erga alios. Haec, ex lib. 2. de arte dicendi Aristotelis accepta, illi satisfaciũt dubitationi, qua quaeritur, Vt quid nonnulli sint apud omnes gratiosi; alij habeantur odio; ac tantum non flagrent humani generis in-

uidia, morum quippe suauitas, prompta officia, obuia comitas mortalium animos demerentur; quibus si qui non capiuntur, ab improbitate id eorum existit, non a culpa promerentis. quare vbi caussae sunt in aperto ad vim occultam confugere vanum videtur, Nec recurrendum ad abdita naturae, vt caussam explicemus, cur inter duos, pluresue primo aspectu conueniat, nulla intercedente similitudine morum, & ingenij; alios nec vitae consuetudo, nec longa dies animis coniungat. mores enim atque ingeniorum propensiones a plerisq. occultantur; nec desunt, qui specie honesti contrahunt amicitias, cum nihilominus vtilitate ducantur, vel voluptate. fixum itaque sit, omnis amoris amicitiaeq. caussam indicari quasi digito posse, si domorum penetralia, & animorum secreta pateflant.

Postremam amoris caussam philtra, deuotiones, veneficia, poculaq. amatoria ex multitudinis sensu constituo; qualem Deianyra existimauit Nessi vestem. Pindarus hymno 4. *Lynge trahor animo*. Theocritus in Pharmaceutria; *Per te lynx meus ille domum trahatur*. alij loco lyngis reponunt *Motacillam*. Haec, ni maior aliqua vis accedat, pro nugis habeto. accedit autem saepe a malo genio; qua de re plura dicere, non est philosophi. monet Plutarchus lib. de praecep. connubialibus, amorem veneficio comparatum omni carere iucunditate, quod vim faciat, & corrumpat mentem; perinde ac medicamento captus piscis illico saporē

amittit,flaccescit, atque corrumpitur.

Verum hoc loco forte repraehendamur, quod voluptati nullum inter caussas amoris,delectationiq. locum assignemus;cum Arist.id afferat lib.9. Eth.cap.5. Sed qui amorem a bono producit,non excludit delectationē.boni enim appellatione honestum continetur,vtile,atq. iucundum. Quae autem delectatio amorem antecedat,quae sequatur; & num voluptas sit fons affectionum animi,copiose in tractatione de gaudio differemus.

Cardanus addidit aliam amoris caussam; puta raritatē;vt quo quid rarius existat, eo magis ametur.hūc Scaliger arguit exercitat.301.Sed,magnorum virorum omissis altercationibus,assero,raritate amorem non gigni. alias omnia rara diligerentur. at monstra,quae raro contingunt,non amantur. pumiliones a plerisq. contemnuntur; ab alijs ad risum,& iocū habentur;Augustus vero tū istos, tum homines distortos,omneq. monstri genus,vti ludibria naturae,maliq. ominis execratus est. Quod igitur amorem parit,bonum est; cui si raritas adsit,augetur amor ex desiderio habēdi,vel metu amittendi.amor enim ita ceteras affectiones antecedit,vt earū cōcursu saepe augeatur; vel minuatur.quae igitur bona apparent,si rara sunt,existūt etiam cariora.hinc sapiens monebat *in amici domū raro pedē inferendū,ne forte satietate captus despiceret.* copia quippe mater est satietatis;satietas vero cōtemptus. Demum,ex euentu,pericula immerito alicui creata conciliant amorem in perpetientem.

Tacitus de Nerone Germanici filio. *aderat iuueni modestia, & forma principe viro digna; notis in eum Seiani odiis, & ob periculum gratiora.* Idem; *Britannicus, periculis commendatus, famam probae indolis sine experimento retinuit.* Eius generis multas enumerare possem amoris caussas, quas omittere consultius videtur.

CAP. V.
De pulchritudine, & pulchro.

QVONIAM amoris praecipua caussa est forma, & pulchritudo, aliquid ex Platonica quoque schola, quae pulchri amicissima est, afferamus. magnam vero eius esse vim nemo, ignorat. cui enim, nisi communis sensus experti, non placeat pulchrum? Aristoteles interrogatus, qui fieret, vt pulchrum, statim conspectum, amaretur; caeci eam esse interrogationem, respondit. Sapienter Graeci nomen pulchro indidere ex eo, quod omnes alliciat. dicitur enim τὸ καλὸν, παρὰ τὸ καλεῖν, quod omnes ad se vocet; abiitq. in prouerbium, quo Plato vtitur in Lyside; *quod pulchrum, semper amicum;* censeturq. a Musis & gratijs primo vsurpatum, vbi ad nuptias Cadmi & Harmoniae, pulchritudinē nouæ nuptæ ore, si Deo placet, immortali cecinerunt; vt in Theognidis epigrammate, cuius haec existit sententia;

Musae, & Gratiae, filiae Iouis, quae olim Cadmi
Ad nuptias cum venistis, pulchrum cecinistis carmē,

Quic-

Quicquid pulchrum amicum eſt, non pulchrum autem non eſt amicum.

Mimus dixit, *formoſam faciem eſſe mutam commendationem*; Ariſtoteles vero; *habere illam longe maiorem vim ad commendandum, quam accurate ſcriptam epiſtolam*. Carneades appellauit ἀδορυφόρητον βασιλείαν, *regnum non egens ſatellite*. pleriq. enim venuſtati ac pulchritudini lubentes manus praebent. Theophraſtus *ſilentem fraudem*; quod abſque verbis perſuadet. Theocritus, *eburneum detrimentum*; quod gratum ſit quidem aſpectui, ſed multorum incommodorum cauſſa. Socrates *Tyrannidis* elogio eam ornauit, *exiguo tempore duraturae*. decor enim faciei breui euaneſcit. fertur Artoxerxem maiorem natu filium Paryſatis mater auerſata, ob Cyrum pulchrum aetate minorem. ſed & caeleſtes honores externae pulchritudini habiti. nam Aegeſtani Philippo Butacidi ob formã egregiam heroicum monumentum erexerunt; & hoſtias multis annis immolarunt; vt ſcribit Herodotus lib. 5. Barbaris quoque in corporum maieſtate venerationem eſſe, magnorumq. operum non alios capaces videri, quam quos eximia ſpecie natura donare dignata eſt, ſcripſere lib. 6. Curtius; & Ariſtoteles in Polit. Hos corporalem ſpectaſſe pulchritudinem, non dubito; quibus Euripidem addere licet, imperium venuſtiſsimae formae deferẽtem, vt eſt apud Porphyrium. Sed eſt pulchritudo quoque non ſubdita tempori, appellatione iſthac ornanda, iure meliore; a qua externam il-

illam, vti florem a plantae bonitate promanare, vel natura cum ea iungi, communiter opinantur; cuius rei caussas complures tetigit Latinus Pacatus in Panegyri; vbi ait, *Sapientes, qui naturalium momenta caussarum subtilius sciscitati, arcanis caelestibus nobiles curas intulere, credidisse augustissimam quamq. speciem plurimum trahere de caelo; vel quod diuinus ille spiritus venturus in corpus dignum se prius metatur hospitium; vel quod vbi venerit, fingit habitaculum pro habitu suo; siue quod aliud ex altero crescat*. quibus in verbis, a Platonicis de anima existente ante corpus deliramentis, cauendum. Ceterum ab externa pulchritudine inferri ad animi candorem, natura ipsa suadet; quae amat, & intendit pulchrum; omneq. turpe auersatur; vt deformitas omnis dici posſit praeter naturam. ideo fugit illa infinitum & interminatum; quia quod ordine caret, atque termino, turpe existit.

Verum si pulchritudinem in vniuersum definire velimus, eam *ex plurium concinnitate coorientem gratiam* cum Plotino dicemus. gratia percipitur oculis tum corporis, tum animi; quare alia pulchritudo est animi, alia corporis: vtraq. diuini boni splendor, & radius hac illac dispersus, quo ad illum facile conuertamur. qui enim externa capitur forma, diuinae pulchritudinis radio in materia fulgente excitatur; nam *delectasti me domine in factura tua*. animus vero in ipso amoris limine deficit plerumque; quod cum ad diuinam pulchritudinem huius, quae oculis subiicitur, fontem, obtu

tum

tum mentis dirigere deberet, altius sese efferre negligit, & pulchro viciniori, sub sensum cadenti, haeret; nec facilius inde auellitur, quam a viridi gramine impastus apud Homerum asellus. Inde principium amoris improbi, atque fascinationis; cum a superno pulchro, quod oculos ferit, allicitque, auertimus, visum, atque turpi exitu ad materiam conuertimur; quod cum ab imbecillitate oritur humanae mentis, tum ab improbitate peculiari huius, vel illius. vt enim solem directo obtutu intuetur Aquila longo interuallo temporis, eoq. experimento generositatem prolis explorat, ceterae vero animantes nec temere, nec diu idipsum ferunt; sic in diuinum fulgorem ij solum aciem mentis obuertunt, qui a sordibus purgati, materiae commercium dedignantur; ea qui grauantur, sunt, vt qui solis radios in solido tersoq. corpore reflexos intuentur; ibiq. luminis principium constituunt; cum oportuisset in altum ab ijs oculos attolli, ac luminare magnum, quod omnibus est caussa luminis, inspici, atque coli. talem quempiam aditum in animos mortalium idololatria, & superstitio habuit, vt D. Greg. Naziãzen. docet. orat. 2. de Theologia. Omnis enim creatura rationalis appetit Deũ, & primã caussam. sed cũ viribus deficiat, lãguet desiderio; maleq. affecta, aegerrime hoc damnum ferens, secundã, vt dici solet, nauigationẽ init; & ad creaturas flectit oculos, ac earũ quampiã pro numine colit. nec occasionem antiquae libidinis quoquo modo explẽdae daemõ omittit.

omittit. nactus enim hominum cupiditatem in Dei conquisitione oberrantem, sese illis impurus spiritus, atque versutus pro Deo ingerit, diuiniq. principatus honorem assumit. Diuinae vero pulchritudinis radiũ primo caelestes animi excipiũt; & quidem vberiore mensura; tum homines; postremo quae supra materiam non efferuntur; quemadmodum sole exoriente montium primo illustrantur cacumina; tum media; vltimo radices & valles. Tyriorum serui, dominis, omniq. libero populo trucidatis, regem dicturi, processere in campum ante lucem; conditione posita, vt qui solem orientem primus vidisset, vti Dijs gratior, Rex esset. ibi ceteris in orientem obuersis, Stratonis seruus, qui minus ingenio truci, dominum seruarat, absconderatque, spectabat eiusdem monitu occidentem; irridentibus ceteris, quod in occasu quaereretur ortus. aduentante die, in editissimis vrbis fastigijs, solem ille fulgentem vidit, non adhuc ortum alijs; manuq. indicauit. Porro in inuestigatione superni pulchri vtendum eodem consilio; vt quando in immensitatem illam luminis oculos mentis primum defigere non licet omnibus; ad ea conuertamur, quae vti viciniora illius radios prius cumulatiusq. excipiunt. ab ijs enim facilius ad fontem lucis deueniemus. summo autem pulchro animi sunt propiores corporibus; in eorum igitur pulchritudinem potius vertendus obtutus, quam corporum. ita enim vitato Lotophagorum obliuionis periculo, ipsum pulchrum,

omnis pulchritudinis principium citius, meliusq. consequemur. hactenus de caussis amoris.

CAP. VI.

De effectibus amoris.

PRIMVS amoris partus est appetitio fruendi re amata; quo nihil habet amans antiquius; vt D. Dionysius 4. cap. de Diu. nom. testatur. ratio huius facti est; quod vel amore tenemur concupiscentiae, vel amicitiae: si concupiscentiae, intendimus bonis, quae sunt in amato, nostri gratia potiri; sin amicitiae, volumus bona, quae possidemus, amato communicare. vtrique coniunctio necessaria. quapropter D. Augustinus ait, amorem esse *iuncturam duo copulantem*. copulat affectu; intendit copulare ipsa re. amore igitur, si non re, saltim affectu duo fiunt vnum; & quodammodo duae animae coalescunt in vnam, quae duobus corporibus det motum & vitam. Sic *anima Ionathae conglutinata est animae Dauid*; & D. August. lib. 4. confess. cap. 6. *bene quidam dixit de amico; dimidium animae meae.* [Horatius

Virgilium finibus Atticis
Reddas incolumem precor
Et serues animae dimidium meae.

Inde oritur mors amantium. hinc Plato amorem vocat *rem amaram*; & Orpheus γλυκύπικρον dixit, hoc

hoc eſt, *dulce amarum*. eſt enim mors voluntaria, vt mors, amarorem, vt ſponte ſuſcepta, voluptatem affert. amorem vero eſſe mortem, inde apparet maxime, quod amans de ſe non cogitat, ſed de alio; in ſe igitur non operatur, ſed in alio; qui in ſe non operatur, in ſe non eſt; qui in ſe non eſt, in ſe non viuit; amans igitur in ſe mortuus eſt. quare Plato in quendam, qui perdite amabat, dixit; *hic in proprio corpore mortuus eſt; viuit in alieno*. & Plautus in Ciſtellar. *Nullam mentem animi habeo; vbi ſum, ibi non ſum. vbi non ſum, ibi eſt animus*. Cato ſenior aiebat, *animum eſſe potius vbi amat, quam vbi animat*. Quod ſi amans viciſſim ametur, reuiuiſcit in re amata; alias mortuus cenſetur. has autem viciſsitudines atque mutationes quo ad affectum accipere oportet; non quo ad ipſam eſſentiam animorum. appetunt quidem amãtes fieri re ipſa vnum, iuxta dictum Ariſtophanis ab Ariſtotele 2. polit. cap. 2. relatum; ſed quia illorum inde corruptio ſequeretur, quaerunt coniunctionem, quae ſaluis corporibus obtineri poſsit. haec autem affectu conſuetudineq. habetur, animis interim quo ad cupiditates permiſtis, & in tertiam quandam temperaturam redactis. hae ſunt ſolertiſsimi artificis admirandae liquationes, fuſiones, temperationes, tantopere a Poetis, & ijs; qui otio, ingenioq. abutuntur, ſtylo agitatae; quae nihilominus improprie & per analogiam dicuntur.

Efficit quoque amor amantem amato ſimilem,

idq. ex afsidua cõtemplatione quam amans exercet circa imaginem amati; tum quia, si vnum fieri cum amato quaerit multo magis, vbi id assequi non potest, eum imitari, eiusq. effigiem exprimere contendit. quo conatu Lysias Phaedro similis euasit; & Macedonum proceres colli flexura, orisq. erectione Alexandro similes redditos ex Plutarcho supra retulimus.

Pulchre vero 2. Rhet. monet Aristoteles, vereri nos turpia committere apud illos, quos amamus; vt inter amoris opera pofsit reuerentia numerari; quod maxime declarat eius affectionis excellentiam. Crafsi illa sunt; Equidem cum peterem magistratus, solebam in praehensando dimittere a me Scaeuolam, cum ei ita dicerem, me velle esse ineptum. Nemo quippe curat probari ijs, quos negligit; Et quidem apud eos, qui ius habent puniendi, veremur turpia facere ob metum legum; apud alios ob metum infamiae; sed apud eos, quos diligimus, ob reuerentiam & amorem.

Sed & sui, aliorumq. omnium, praeterquam rei amatae contemptum amor parit in amante. Iacob, rarum amoris exemplum, quattuordecim annos aestu geluq. vexatur, in morem ferae, vt pulchra Rachele potiatur; ac tria fere lustra magnis traducta laboribus, paucas existimat incommodi tolerati horas, certe diuinus Moses paucos ei dies prae amoris magnitudine visos testatur. et si castifsimo amatori salaconem in exemplum adiungere licet, ruit M. Antonius in certum atque

prouisum exitium, vt Cleopatræ morem gerat. fit sui desertor, vt placeat concubinæ salutem profundit, ne amati vultus turbet serenitatem. Fugatur demum Veteranus Imperator ab adolescente, atque tyrone, quod prius fuisset dementatus ab aegyptia Syrene. his stipendijs saeue cupido muneras eos, qui nominibus datis, tua signa sequũtur.

Gignit quoque amor magnam voluptatem, vbi re amata potimur. cum enim assequi finem sit omnium iucundissimum, quilibet eo habito, quod amat, contentus viuit, vt Plato ait in Phaedro. saepe autem tanta voluptas adeptionem rei amatae consequitur, vt multi in complexu rerum carissimarum exspirarint. Ex opposito amor vehemẽtior, si quid assequutionem propositi moretur, vel impediat, tristitiam, & moerorem affert, voluptati, de qua diximus, aequalem. Rasis medicus amorem morbo melancholico proximum facit. euolant quippe spiritus subtiliores, & purior sanguis per tenuissimos poros, excitati appetitionis impetu, erga rem amatam tendentis; sanguis vero crassior, quod exitus non pateat, remanet conclusus; vnde in atrum humorem, atque bilem facile concrescit, cum sit meliore sanguine destitutus. inde vaporibus oppletur caput; animus tristitia premitur, ac saepe ad insaniam deducitur. Lucretius amator primum effectus est; tum demens; ad extremum sui ipsius parricida. Haec sunt vehementioris amoris, & frequentius impudici; qui amittendi quoque timorem affert, atque

trepi-

trepidationem; tum etiam furorem in eum, qui auferre conatur; ſuſpiciones vehementes, zelum amarum, aliaq. animo lancinando, & excarnificando inſtrumenta commodiſsima.

In eodem ordine raptum mentis collocamus: graece ἔκστασιν; quem amori quoque diuino Areopagita tribuit; quaſi Deus ob amorem ectaſim paſſus fuerit. emergit quippe foras animo, qui amat; tum quod ad rem amatam commeare appetit; tū quod aſsiduo de illa cogitat, ſui oblitus; accurritq. aliquando ſanguis tenuior ad cerebrum, vt iuuet contemplationem; aliquando praeſente re amata ad eam conuolat, ſed ſiſtit in externis corporis partibus, uehiculo deſtitutus. vtrumque ſtupor ſequitur, oppreſſo cerebro vi nimij caloris, vel partibus vitalibus ab eodem derelictis.

Inde ſequitur amantis valetudo & imbecillitas. debilitatur enim alendi vis recedente calore; cor etiam, atque cerebrum viciſsim conſtringuntur, ob copiam ſanguinis, vt opem ferat parti laborāti, ab vno ad aliud cōmeantis. id enim ei natura indidit, ut inſeruiat vitae principijs. Et quidem cor, vbi ſeptum eſt vi ſanguinis, & quaſi vallo circundatum, quaerit aggerem per ſuſpiria perrumpere; quae vel non emergunt, vel omnino emittuntur difficillime, ac plerumque non integra, verum dimidiata, nec ſine magno conatu. ab eadem conſtrictione cordis prodeunt cantiones interruptae, actiones inconſtantes; omniaq. ſpectantur faſtidij plena. aegrum quippe cor modo unum appetit,

&

& statim dimittit; modo aliud quaerit, & propositum illico mutat; paenitetq. caepti instituti; vt prorsus ij faciunt, qui longo & acuto morbo decumbunt. Huc maciem palloremq. amantum refero; corrupto enim calore, colorem quoque obscurari necesse est. [Ouid. de Amante.

Fugerat ore color, maciesq. obduxerat artus.

Oppressionem vero cerebri lachrymae sequuntur. Sanguis enim subtilior, cogente cerebri frigiditate, vertitur in lachrymas; quae, vti graues, descedunt per oculos; natura quoque rem molestam, nulliusq. vsus, foras propellente.

His adde oculorum tumorem, & inflationem labiorum. Suetonius de Tyberio. *Sed & Agrippinam abegisse post diuortium doluit; & semel omnino ex occursu visam, adeo contentis & tumentibus oculis prosequutus est, vt custoditum sit, ne vnquam in eius conspectum veniret.* eius facti caussa est, quod ad praesentiam, vel memoriam amatae rei spiritus petunt partes extimas, quasi amatum amplexaturi; maxime vero feruntur ad oculos, qui sunt animi internuncij, & conciliatores amoris. inde sequitur tumor, & plerumque etiam ardor.

Nec est praetereundum, ad praesentiam, vel recordationem rei amatae commoueri pulsum venarum, siue arteriarum, fieriq. concitatiorem, & inconstantem; idq. vel quia cor trepidat & pauet; vel quia nititur quodammodo de loco suo conuelli, & in amati pectus transferri; quo argumento deprachendit Galenus amici vxorem amore

Pyladae

Pyladae cuiusdam laborare.

Denique, vt etiam quae leuiora sunt, attingam, amor mutat mores. ex taciturno garrulum facit, ex garrulo taciturnum; ex socorde industrium; ex aspero mitem & suauem. quae omnia singillatim prosequi, esset immensi laboris. Antiquitas morum comitatem amori adscripsit, quemadmodum Dionysio misterium, vaticinium Apollini, Musis poësim. Docet quoque musicen; quod Plato a spirituum vehementia deducit; qui dum magna vi erumpere conantur, impellunt ad cantionem. Quid quod poetas facere non vno deprachẽsum est experimento? Plato idipsum assignat excitationi, agitationi, eleuationi spirituum. ij enim cõmoti, agitatiq. apt sunt aliquid parere citra communẽ vsum; cuiusmodi est oratio metro constans, minime vaga, vel soluta. Bion poeta in Bucolicis sub persona pastoris amorem facit suorum carminum auctorem versibus a Stobaeo relatis, quos ad verbum conuersos ita legimus.

Musae amorem non metuunt crudelem,
Quin amant ex animo & vestigia sequuntur eius.
Quod si quis ingenio praeditus inamabili ipsas comitetur,
Illum refugiunt, & docere nolunt.
At si amore captum gerens animum suauiter cecinerit,
Ad ipsum simul omnes festinae confluunt;
Quod autem hic sermo plane verus sit, ego testis sum,

Nam si hominum quempiam, aut immortalium carmine celebro
Cessat mea lingua; nec vt ante solebat, canit.
At cum in Amorem, vel in Lycidam aliquid molior,
Tunc mihi laetum ore carmen profluit.

dictum vecordis poetae sceleratum, quodq. satis indicet perditos hominis mores, at nihil mirandum scio impudico amore ad versus fundendos eum incitari solitum, qui meliorem non agnoscebat. agnouit autem Propheta Regius, illoq. impetu, quae Deus dictabat, suauissimis versibus effudit. Hanc de amoris effectibus tractationem eleganti Caroli Cardinalis dicto cōcludam: Amore perfici functiones humanas. quae enim ab amore prodeunt, quam accuratissime geruntur.

CAP. VII.

De remedijs amoris.

REMEDIA non nisi morbis quaeruntur. quare de impuro nobis amore hic sermo existit.

Primum igitur amorem negotia, curae, honorum cupiditas; labores, calamitates deterunt, & conuellunt;

Otia si tollas, periere cupidinis ignes.

Sed & egestas ei valde aduersatur. nā *sine Cerere & Baccho friget Venus*, vt ait Chremes Terentianus. in graecorum collectaneis versus legitur, qui latine

ne expressus, sic habet.

Mortua res venus sine Cerere, & Baccho.

Aristophanes apud Athenaeum lib. 10. vinum lac Veneris appellat, quod alat libidinem.

Vinum bibenti suaue lac Cypriae Deae,

Apuleius in Metamorphosi ex Cerere, & Baccho Veneris sytarchiam confici scribit. Sed & Menandri hi extant Senarij.

Amorem sedat fames, aut aeris penuria;
Nemo mortalium victum mendicans amauit;
Sed in opulentis puber hic innascitur.

Huc spectat antiquum epigramma graecum auctoris incerti, in latinum sic versum.

Fames amorem sedat; id si sit minus,
Tempus medetur; sin nec ista extinguere
Flammam queant, tum restat, vt funem pares.

quod epigramma ex dicto Cretetis Thebani Cynici philosophi confectum est. tria enim ab eo afferebantur amoris remedia, λιμὸς χρόνος, βρόχος. id est, *fames, tempus, laqueus*. digna cynica immanitate sententia. porro paupertatem prodesse amori pellendo, in confesso est; tum etiam tempus, & longam diem; nam vt ait Ouid.

lenescunt tempore curae.

& Martialis

Quid non longa dies, quid non consumitis anni?

sed si haec duo minime prosint, alia sunt remedia, praeter laqueum; a quo abstinendum natura docet, & humanae diuinaeq. leges praecipiūt. quantum enim illud ad amorem eiiciendum valet, si

quid vitij in re amata est, saepe animo voluere, vt illa tandem apud nos vilescat? in omni vero humana pulchritudine aliquam deformitatem corporis, vel saltim animi nancisci, facillimum videtur; mores scilicet improbos, impotentiam animi, auaritiam, saeuitiam, inconstantiam, & quando haec desunt, foeces sub uenustissima forma latentes, sordesq. innumeras eo conceptaculo conclusas. indignatio etiąm; quod a vili foemina, vel abiecto mancipio quis contemnatur; vel in seipsum, quod adeo foedum toleret seruitium, cōcepta iracundia tenacissimos frangunt amores; quibus liberatum Heroem illum ab amore Indicae Reginę Ludouicus Ariostus perbelle finxit; cum equitem induxit armatum, quem indignationem postea nuncupauit, taedis ardentibus foedam & immanem belluam, quae Reginaldum sub vnguibus praemebat, & molestissime infestabat, fugantem, & ad tartarum detrudentem. quippe fera illa libidinem, & amorem impurũ referebat. Medici emissionem sanguinis atque defoecationem ad idem censent non inutilem; quod ea minuatur calor, & ardor coëundi. Platonici idipsum probant; quod sanguis morbida qualitate affectus eiicitur, ac sincerus de nouo gignitur. quare medici amantibus ebrietati censent aliquotenus indulgendum; tum vt spiritus recentes procreentur ab illa tabe intacti, veteribus per sudorem vino excitatum, exhalatis; tum, vt inducta obliuione, paulatim curae mollescant, & amatae rei memoria deleatur.

Reme-

Remedium vero illud, *clauum clauo pellendum*, nec recipio, nec ferendum censeo, si clauus de nouo adhibitus sit eiusdem cum vetere materiei. nam expellens, nisu tenaciore occupat expulsi locum. quare amantem, si eo vtatur consilio, in peius delabi, non est ambigendum. sin alterius naturae clauus assumitur, & casto, vel omnino philosophico, & quod magis amplectendum, diuino amore contra Venereum agitur, medicinam salutarem, nemini respuendam iudico.

Strabo lib. 10. scripsit prope Leucada promontorium esse templum Apollinis, vbi saltus fit ad sedandos amoris aestus; ex quo Deucalion ob Pyrrham, Cephalus ob Pterelam, Sappho item & Calicae foeminae sese praecipites dedere. viri seruati sunt incolumes, ab amore immunes. foeminae interierunt; misellae; quod scilicet saltus ille Leuchadius virilis esset, nec foeminis conueniret. Fabulosa haec sunt. Sed si quid veri adumbrant, illud est; vehementissimo timore amorem interire; quod & nos fatemur. pericula enim ad meliorem saepe mentem homines reddunt; & *vexatio dat intellectum*.

CAP. VIII.

Proponuntur & diluuntur dubia non pauca ad Amorem pertinentia.

PRIMVM dubium. An verum ſit, quod Socrates ex Diotima retulit, amorem naſci ex indigentia. Plato in Lyſide affirmauit. Cicero autem cenſet iſtum eſſe minime generoſum amoris & amicitiae ortum; alias lucri cauſſa amaremus, & beneficia foeneraremur; quod ſordidum videtur? Sed Platonis dictum de amore, qui cupiditatis dicitur, intelligendum; Ciceronis autem de amore amicitiae, quae nititur honeſto. ſic inter mentes ſeparatas amor intercedit, cum nihilominus non egeant.

Secundum. Quibus maxime temperamentis innaſcitur amor? Iis, quae calore, & humore abũdant. humidum enim facile concipit externas impreſſiones; calidum vero fouet amorem. quod ſi calido ſit admixtum aliquid ſiccitatis, cupiditates exiſtunt acutae, & vehementes, quas celerrime vellet expleri, nec retinent valde diu; quod ſanguine ſint tenui, atque raro, & in continua motione poſito. eiuſmodi ſunt adoleſcentes, quorum amores leuis flammae vapori Seneca in Hyppolito comparauit. Frigidioris vero naturae, ac triſtioris ingenij homines tarde amorem admittunt, ſed perſeuerant magis, ob craſsitiem, atque pigritiam ſanguinis,

guinis,& admixtionem atrae bilis,quae difficilius recipit,sed firmius retinet;quicquid imprimitur;vt argilla non adeo tenuis,vel liquida. inde senes cõcipiendo amori duriores videntur;quem nihilominus semel imbibitum retinent summa firmitudine. illos dixeris; quasi stipulam; quae flammam ocyssime concipit, & dimittit;hos; quasi ligna solidiora,quae non adeo sunt ad exardescendum facilia; sed admotam, ac tandem receptam flammam diutius alunt.

Tertiũ. Qua potissimum via cõcipiatur amor. Respondeo, venenum istud oculis maxime hauriri. vt Aristot. docet lib.9.Eth.cap.5.testatürq. ille apud Poetam.

Vt vidi? vt perij? vt me malus abstulit error?

sed & aures aliquando sunt operis tanti administrae; qua ratione Medaea Iasonem ardere coepit, lenocinium per quietem absoluente phantasia. cõtactus idipsum praestat; vbi phantasia pulchram rei contactae formam effingit; sed in hac concertatione palmam oculi sibi vindicant, vt quibus cum re ipsa commercium intercedit; quod aures nõ habet,vt Phylo notauit lib.de Iudice.illae enim occupantur circa sonos; obtutus in rem ipsam fertur; acl imatissimum atque superbissimum de illa fert iudicium: contactus vero crassior est,& aptior ad fruitionem, quam ad iudicium de re pulchra faciendum. asserunt Platonici amorem pulchritudine potissimum commoueri; quae oculis maxime percipitur; contactui vero nullatenus subiicitur;

ideo amorem oculis potius excitari, quam tactu. amorem praeterea ſpiritibus adminiſtris gigni volunt, hosq. per oculos emitti, & immitti. ex quo fit, vt qui oculorum venuſtate pollent, facile in alienis pectoribus beneuolentiam ſibi conficiant. Hanc ego ſpirituum per oculos eiaculationem negare non poſſum, quod multis experimentis comprobetur. Scribit S. Baſilius lib. de Virginitate, nos firmius aegrotos intuendo corrũpi; neque. n. impune peſtifera ſpiramenta oculis hauriũtur. Teſtatur Lãpridius de Alexãdro Seuero, ad eius obtutũ ſępe opus fuiſſe oculos dimittere; id nõ eſſet; niſi agens vis aliqua ab oculo in oculũ effunderetur; quæ illũ afficeret, & ſubigeret. laeditur. n. ſenſus a ſenſili vehementi, vt Ariſt. docuit. Auguſtus, referẽte Suetonio, oculos habuit claros, ac nitidos, quib. etiã exiſtimari volebat ineſſe quiddã diuini vigoris; gaudebatque, ſi quis ſibi acrius cõtuenti, quaſi ad fulgorẽ ſolis, vultũ ſubmitteret; quã porro leuitatẽ Silenus apud Iulianum trãsfugam facetiſsime deriſit.

Quartum. Aſpectu ne rei amatae magis, an oſculo, complexuq. amantis expletur appetitus? Reſpondeo; amantem quaerere coniunctionem cum re amata; id vero complexu magis obtinetur, quã intuitu. quare mater filiũ ad ſe peregre reuerſum non ſatis habet oculis ad ſatietatem intueri; niſi etiã amplexetur. oſculo dato, & repetito, quieſcit. maximã nihilominus voluptatem oculis percipi, non eſt negandum; eſſeq. magis perennem, quod, cum purior exiſtat, minus amantem fatiget.

Quin-

Quintum. An amor ſit erga bruta & inanima? Reſpondet Ariſtot.8.lib.Eth.c.5.φίλησιν, ideſt amationẽ, in res quoque inanimas conferri. quod lata acceptione Ariſtot. loquutum crediderim.nã inanima etiã ſi timemus, non odimus, vt fulmẽ. ergo nec amamus,cũ contraria circa idẽ contingãt.quare Ariſt.8. Eth.cap.2. magis proprie loquens ait; ridiculũ eſſe illũ,qui dicat, ſe vino bona euenire velle; ſed vt quã liberaliſsime agamus,dabimus ei, vt velit vinũ ſaluũ,& incorruptum manere, vt ipſe habeat.cũ igitur amoris effectus ſit bene velle,ſequitur erga inanima nõ eſſe proprie amorẽ; & multo minus amicitiã. Ariſtippus cũ perdite amaret Laidẽ,nec ab ipſa amaretur,ab amico reprehẽſus eſt, qđ eo amorẽ traduxiſſet,vnde par nõ acciperet.ſed excuſabat ſe Ariſtip. quod etiã vino & cibo vteretur,plurimũq. caperet inde voluptatis;etſi nõ ignoraret,ſe nõ amari ab illis.acute & appoſite. neq.n. cũ de vero amore ſermo eſſet,ſe cibũ amare dixit, ſed ab eo multũ capere iucũditatis. Quo ad animata rationis expertia,certũ eſt cũ ijs non eſſe amicitiã;q.a cõmunia cũ hominibus officia nõ obeũt,nec ferũtur ad eundẽ finẽ, neq; habẽt electionẽ,nec honeſtũ a turpi diſtinguunt.Sed an hominis amor ad illa extẽdatur, in dubio res eſt.diligimus enim canes,& viciſsim amamur ab illis. & cum ſint capacia doloris, & voluptatis, illis bene, vel male cupimus.nõnulli etiam ardentiſsimo amore foeda animalia ſunt proſequuti. Glauca Cythariſtria anſerem, ſeu anatem amauit; Xenophontis filius in

Cilicia canem; & quidem obstinatissime; puer Spartiata monedulam habuere in delitijs: quid quod adolescens bonae fortunae statuam in Pritanaeo erectam deperijt, eaq. pretio non obtenta, sibi manus intulit? quippe lapidem illum quasi anima praeditum ob mentis perturbationem existimauit; quod ex Xerxi visum fuisse crediderim; cum insano Platani amore captus, ad eam exercitum illum immensum consistere, atque choreas ducere voluit; nec ante abscessit, quam armillis torquibusq. aureis amasiam ornasset; curatore quoque dato, qui custodiret; ac tueretur ab iniuria. Sed amorem proprie atque perfecte ad ea tantũ esse dixerim, quæ ratione pollent. est enim amor appetitus coniunctionis, atque conuictus; quis vero cani, vel anati, vel cuilibet mansuetissimae belluae iungi velit, vel vna conuiuere? quod si qui deformes adeo praetulere cupiditates, eos irrationali amore ductos dixerim, & feritati, immanitatiq. obnoxio; cuius peruersae appetitionis caussae tres ab Aristotele referuntur lib. 7. Ethic. cap. 5. Sed, si rationem sequimur; & naturae propensionem; inanima cara habemus; bruta adhuc nostri caussa diligimus; vt equos nobiles, vt catulos festiuos: sed non quaecumque cara nobis sunt, continuo amamus; etsi quae amamus, necessario etiam cara habemus; & omnino carum esse latius patet; quam amari.

Sextũ. An amare praestantius sit, quam amari. haec dubitatio accipienda est formaliter; scilicet

liceat, an amans vt amans nobilitate antecellat amato, vt amatur. de quo Platonici non dubitant, cum, vt Phaedrus ait apud Platonem, amans diuino furore rapiatur, videaturq. particeps factus diuini luminis. Equidem caeteris paribus statum amantis celsiorem existimo. amare enim est actus caritatis, quae praestantissima est omnium virtutum; tum etiam quod amare cum functione virtutis existit; amari autem est prorsus ociosum. illud vicem habet agentis, hoc patientis.

Septimum. Cur amans amati vereatur aspectū; vt saepe viri fortissimi ad praesentiam vilissimae faeminae trepidarint, & ad infimas preces obtestationesq. descenderint. Respondent Platonici, non esse quid humanum quod eos percellit, sed fulgorem diuinitatis emicantem in humana specie; quo posito, consternationis eius caussam se tradidisse putant; & principium indicasse, quo permultae difficultates de amore diluantur. nam ad amati praesentiam saepe honor, plerumque diuitiae contemnuntur; quod fortunae bona non sint cum summo bono, cuius radij pulchritudine correptus est amans, conferenda. Et amans cupit vnum cum amato fieri, deserere condicionem propriam, & se in amati personam transferre; quia ex homine cupit fieri Deus. quis enim est, qui humanam condicionem cum diuina non libentissime commutet? Et amore capti vicissim suspiria promunt, & gaudent. dolent quippe quod se ipsos deserant; laetantur quod ad meliorem statum transferantur.

Calent

Calent etiam atque frigent; deferuntur enim calore proprio; tum superni radij fulgore accenduntur. demum timent & audent, quod calor audaciam pariat, frigus metum. Ego vero Peripatetica firmitate delectatus, pleraq. ex his vti speciosa quidem dictu, at reipsa non admodum solida reiicio. alia etiam, vti ad velandam turpitudinem Veneris inducta, damnare cogor; Amantem id cupere, vt per Metamorphosim fabulosam in alienam mutetur naturam, plane sum antea inficiatus. effectus vero illos amoris varios, & multiplices ab ęstu & ebullitione sanguinis, per vim phantasiae, deduco; vt diximus in ijs, quae de amoris effectibus attulimus; plura quoque in disputatione de timore paulo post subiiciemus.

DE DESIDERIO.

CAP. VNICVM.

Explicatur quid illud ſit; quas habeat cauſſas, quos effectus, quae remedia.

QVONIAM, ob multiplices in hominis vitam incurrentes difficultates, rebus quae allubeſcunt animo, haud temere potimur, ac saepius retardamur a conſequutione finis; idcirco tractationi de amore hanc de cupiditate, ſeu deſiderio proxime ſubijcimus. In illo etenim carentiae ſtatu ea inſurgunt; extenduntq. animum in rem abſentem; vt deſiderium non inepte deſcribi poſsit, Motus, & extenſio animi erga bonum abſens, quod uti conueniens fuerit perceptum.

Nec vnico nomine affectio iſta contenta eſt. dicitur enim Votum, Optatio, Concupiſcentia, Appetitio, Deſiderium, Cupiditas, Libido. Votum proprie deſiderium eſt habendi bonum a Deo, cum pollicitatione aliquid praeſtandi. Orpheus apud Platonem in Alcibiade poſteriore, ait, votum eſſe ardentem caſti animi affectum in Deo deditum,

& quod bonum est, exoptantem. Votum igitur est cum conuersione ad caussam superiorem; pollicitationem vero non omnes in voto requirunt. fuit enim Caligulae votum, vt Poplus Romanus vnius esset ceruicis; nec propterea, si consequeretur, quicquam se facturum promisit. latior haec, & communior existit voti vsurpatio. Desiderium & optatio idem innuunt; nisi forte optata inter maiora reponas; sunt autem in ijs, quae ratione vtuntur. Cupiditas non differt a desiderio, nisi quod plerumque in prauum flectitur; vel quod vehementior existit, & sine modo. Concupiscentia idem est quod cupiditas, praeterquam quod extenditur ad bruta. Omnium deterrima libido, carens iudicio, termino, bono fine; brutis, quam hominibus accomodatior. Appetitio, & cupiditas nomina sunt primo generis, omnes affectiones complectentis, tum illius animae partis, quae irascenti opponitur; postremo speciei istius, de qua agimus; & his omnibus recepto loquendi vsu accomodatur. Hanc affectionem Aristot. ἐπιθυμίαν appellat interdum, quae ceteris quoque appetentis facultatis motionibus communis est; interdum nomine minus peculiari, πόθον. illam cupiditatem, hoc desiderium vertunt. πόθος vero magis fertur in rem absentem. nos vtroque vocabulo promiscue vtemur.

Desiderium igitur est appetitio boni absentis conuenientis, distribuitur autem in multas species, pro illorum, in quae feruntur diuersitate.

nam

nam auri desiderium, auaritia, honoris ambitio, venereae voluptatis libido nuncupatur.

Ex euentu quoque, ab illorum, quibus inhaeret, varietate, contrahit diuersitatem. Iuuenes cupiditatibus flagrant vehementibus, ob calorem aetatis; & quia carent vsu rerum, facile multa, magnaque, vti obtentu facilia, concupiscunt. Qui abundant sanguine, atque bili, acutas patiuntur cupiditates, omnemq. moram oderunt. sed omnes inconstantia laborant ob sanguinis mobilitatem. Frigidi, & sicci, atque adeo senes ad voluptatem quidem tardius mouentur; sed in eius appetitione pertinacius obdurant. Timidi, & meticulosi laborant innumeris cupiditatibus rerum vtilium ad vitae sustentationem: quia destituti calore, imbecillitatem virium habent exploratam; & cum sibi diffidant, plura & plura subinde appetunt. eiusmodi sunt senes, & mulieres, quae vix explentur. at iuuenes aucti calore, freti viribus, magno existunt animo, & parum sunt de vita tuēda solliciti. omne enim robur, & auxilium in se ipsis reponunt. uoluptates uero in aetatis flore auēt quamplurimas; quia dum adolescunt, multas patiuntur mutationes. sed omnino quicquid uolunt, nimis uolunt.

Caussa desiderij est bonum absens, conceptum uti conueniens; quod ualet, ac si diceremus, desiderium esse amoris effectum: quo loco illud non omittendum, nos multa desiderare, quae proprie loquendo, non amamus. Neque enim uinum diligimus,

ligimus, quod nihilominus & appetimus, & comparare ſtudemus. At non inde ſequitur, aliquod deſiderium non eſſe amoris effectum. Nam uinum, gemmas, ceteraq. inanima uolumus noſtri gratia; & cara habemus, quod nobis uſui ſunt. Quare ab amore ſui eiuſmodi deſiderium proficiſcitur; ut uerum omnino ſit, omni deſiderio amorem praeire.

Effectus deſiderij ſunt ijdem, qui amoris in rem abſentem concepti; tum etiam moleſtia; et, ſi uehementius efferbuerit, dolor, dum uoto fruſtratur, vt Ariſtot. tradit lib. 3. Ethic. cap. 2. Sed num praeſente re amata, & deſiderata expleatur, ſatieturq. amantis deſiderium, hic iure optimo quaeri poteſt. Et naturae propenſione ſic fieri debere, nemo inficiabitur. caeterum amittendi metus, & rei vſus cum ſucceſsione coniunctus, ac futurum tempus reſpectans, nec nõ imperfecta rerum creatarum, vnius cum altera, coniunctio, non complent appetitũ; nec extinguunt ſitim habendi, fruẽdique. Qui timet ne amittat, deſiderat; quaſi aliquando nõ habiturus. bonis praeterea vtimur ſub menſura temporis; cuius quod praeſens eſt, minimum eſt; quod futurum immenſum. quare deſiderium expletur minimo temporis; ſollicitudinem inducit quo ad partes eius innumeras futuras. Demum quicquid concupiſcimus, nequit nobiſcũ fieri perfecte vnum in hac tanta craſsitie materiae. quapropter ſi bonũ aliquod exiſtat, continens omne bonum, quo perfecte ac medullitus toto ſimul,

ac ſine metu amittendi fruamur, id praeſentia ſua tollit omne deſiderium. eiuſmodi Deus eſt, menti clare viſus. tum veritas, eò quod aduenit tota ſimul, & poſsidetur ſine metu furis, vel riualis. ſed & deſideria quaecũque limitata ceſſant, vbi quod deſiderabatur praeſto eſt; vt cupido gemmae alicuius, vel praedij tollitur per eorum adeptionem. illimitata vero, & interminata perſeuerant, & quandoque augentur; vt cupiditas diuitiarum ſine modo, vel termino concepta; nam

Quo plus ſunt potae, plus ſitiuntur aquae.

ac deſideria quaelibet ſtulta, & inſana eodem inſatiabilis immanitatis vitio laborant, vt guſtatione rei deſideratae magis accendantur. quod in Nerone Tacitus annotauit; cui in Circo publice auriganti euulgatus pudor non ſatietatem, vt rebantur, attulit, ſed incitamentum.

Sed iam de curatione huius affectionis agamus; in quam diligenter, & enixe incumbendum. ni enim expleatur, cruciat habentem; & expleta, ſaepe iugulat praefocatue. Cenſeo igitur ad morbum iſtum ſanandum omnia ea conferre, quae tollendo amori conducunt. Sed quoniam magis late patet deſiderium, quam amor, aliqua etiam huius motionis componendae peculiaria praecepta ſubiiciamus.

Primum igitur illud monendi ſumus; nemini ſibi de ſe temere credendum, aut fidendum. deſideramus non ſemel, quae non ſumus conſequuturi; ſomniamusq. vigilantes, ducti caeco

impetu; decepti opinione nostri. quare qui de se moderate sentit, non est pronus ad desiderandum. alius quoque error mentes mortalium peruasit; ita demum se felices reputantium, si res cedant, vt volunt; sin secus cadant, vocant se infortunatos; nec interim quid ipsis expediat, habent exploratū. enormis deceptio, qua bona pars hominum seducta maximis implicatur voluminibus molestiarū. audi Platonem 3. de leg. malagma simplicissimū tumori afferentem. *Non est precandum, vt quae molimur, cedant ex sententia; sed vt magis voluntas nostra prudentiam sequatur.* aliquanto seuerius pro ingenio familiae praecipit Stoicus Epictetus. *Ne postules quae fiunt, fieri arbitratu tuo; sed si sapis, ita fieri quaeq. velis, vt fiunt. Versandum in vita vt in conuiuio. si quid circumferendo ad te peruenerit, porrecta manu modeste capito. praeterit? ne detine. nondum adest? ne longe appetitum extendito; sed exspectato, dum ad te perlatum fuerit.* Futilis quippe ingenij est, viso iucundo, statim affici, & efferri desiderio potiundi. cohibe tantisper assensum; & impetus ille, velut flamma praeterlabens, euanescet. ne admirere purpuram, & magistratus; nec te strangulabit honorum sitis; sperne diuitias, nec vulturis rostrum, aut vngues praecordijs patieris. ride tecum sorices palatij, spongias aulae, teredines curiae, verricula fori; eos, inquam, qui non recedunt a limine fortunatorum; qui sanguinem, in multorum alimenta distribuendum, vni totum exsugere, commeatum pluribus paratum cor-

rodere,

rodere, ac regias areas verrere ſtudent; rati ſe ad aulam, quaſi ad *auream* veniſſe *meßem*; horum curas, vigilias contentiones, curſitationes, anhelitus deride. ſaepe enim quod optant, & ante pedes habent, non magis conſequuntur, quam ille ſiti enectus Tantulus fugacem vndam, quam mento tenus contingere fingitur, labellis deguſtet, vel hauriat faucibus. etſi quid tandem, poſt multas voratas repulſas, atque dedecora tolerata non pauca, conſequuntur, vt vt magnum ſit, ab incredibili tamen & inexplebili cupiditate puſillum videtur immaniſsimo ventri. magisq. angun tur ex eo quod non acceperunt, quam gaudeant bonis, quae habuerūt. contēptus itaque rerum humanarum efficaciſsimum aduerſus cupiditates re medium; quod in quibuſdam Germaniae populis Tacitus oſtendit. *Fennis*, inquit, *mira feritas. foeda paupertas. non arma, non equi, non penates. victui herba, veſtitui pelles; cubile humus.* & infra; *Id beatius arbitrantur, quam ingemere agris, illaborare domibus; ſuas alienasq. fortunas ſpe metuq. verſare.* Ex hoc vero deliciarum atque commodorum contemptu, quid illi retulerint ſtatim declarat. *Securi aduerſus homines, ſecuri aduerſus deos*, (vtinam abſtinuiſſet ap pellatione numinis) *rem difficillimam aſſequuti ſunt, vt illis ne voto quidem opus ſit.*

Carolus Cardinalis adeo non maiora, quam quae ab auunculo Pontifice Maximo pro condicione ſtatus moderata ſatis acceperat, cōcupiuit, vt etiam illa ipſa repudiarit; vno Mediolanenſi re-

tento sacerdotio, cuius reddituum maximam partem in Ecclesiae, pauperumq. vsus dispensaret; domesticis parum, sibi fere nihil reseruaret. allata sunt ei aliquando intra cubiculum quadraginta aureorum millia, quae diuendito quodam eius in Regno Neapolitano principatu, fuerant collecta. ea vt aspexit Carolus, continuo auertit obtutum, quasi in lacum Auernũ oculos cõiecisset, horruitq. perinde ac tot capita anguium venenatorum; confestimq. nobile metallum, quo cuncta fere domantur, ipse inuictus domo exportari, atque Xenodochijs, Monasterijs, Ecclesiis, pauperibus distribui imperauit. sic sponte misso sanguine adeo cupiditatem, velut haerentem venis ardorem, exstinxit, vt nihil vltra ex vitae delicijs concupierit; nec aliquid molestiae ab humano voto in posterum acceperit.

DE GAVDIO, ET DELECTATIONE, SEV VOLVPTATE.

CAP. PRIMVM.

Quid sit Gaudium; quid & quotuplex voluptas; & vti a desiderio distinguantur.

QVI non temere animum appellit ad amandum, etsi re amata frustratur aliquandiu; nihilominus post conatum saepe fit voti compos; fruiturq. magna voluptate, quae gaudium proprio nomine appellatur. Id non reperitur in brutis; sed eius loco voluptas delectatioq. sufficitur; neque enim distinguũt medium a fine. Gaudij & voluptatis indicia sunt laetitia & hilaritas; haec in vultu, illa in ceteris quoque signis externis. Sed cum voluptas & delectatio idem omnino sint, qua ratione a gaudio, quod peculiarem animi affectum ponimus, differant, videndum. Voluptas est animi motio subita, quae sensu percipi posit, ob statum

naturae conuenientem. haec definitio etsi verbis ab ea recedere videtur, quam 1. Rhet. Arist.tradidit, re tamen non discrepat. eiusq. sententia est, nos voluptate perfundi ob statum naturae conuenientem. sed illius ortum luculentius declarauit in Ethicis lib.10. cap.4. cum ait, Voluptatem esse quid consequens functionem sensus bene dispositi, & in ea, quae sibi subiiciuntur, operantis. illa igitur quae in operando percipitur cum sensuum titillatione suauitas, voluptas existit; ab hac differt gaudium, quod non quamcumque functionem bene dispositae facultatis sequitur, sed vnam rei amatae consequutionem, atque adeptionem finis, siue re sit praesens, siue per phantasiam. illa leuior est; hoc vehementius. illa latior & magis diffusa; hoc vero contractum ad vnam rei desideratae consequutionem atque vsum. vnde in eam adducor sententiam, vt existimem. voluptatem, & gaudium, vti distinximus, accepta, differre tanquam genus a specie. vt enim media sunt natura sua distincta a fine; sic voluptas ad finem tendens, & finē sequens natura separantur. Huc accedit quod voluptates sortiuntur differentias a functionibus, quas sequūtur, quemadmodum 10.Ethic.lib. Arist.multis cōfirmat; amare autem, & frui re amata tum inter se, tum a desiderio ceterisq. animi motibus natura distinguuntur, & forma; gaudium, igitur, quod in solo boni vsu positū est, a ceteris, quae media spectant, delectationibus eadem ratione separabitur. demum gaudium, &, quae idem cum gaudio existit,

ſtit,de re habita delectatio,imitantur quietem;desiderium vero, teteraeq. affectiones, & functiones motum;vt igitur motus, & quies ſunt natura diuerſa,ſic delectationes ab ijs promanantes.

Verum,cur non omnem voluptatem in affectionibus animi numeremus, explicandum. Voluptatum aliae ſequuntur functiones ſenſuum, & mentis;aliae appetitiones cordis.priores illae nō vidētur inter affectiones animi recenſendae; quia non fiunt in corde. ſed nec quae in corde,ad hunc animi affectum,quem Gaudium appellamus, omnes teuocādae. affectus enim eſt,vel poteſt natura ſua fieri vehementior.vnde πάθος ab Ariſtotele nuncupatur. at nulla vehemens excitatur in corde voluptas, niſi quae deſiderij expletionem, vel expleti cogitationem, ſequitur; iure igitur peculiarem animi affectionem gaudium ponimus, a rei amatae conſequutione, atque fruitione natum. Hinc colligo quod Ariſt.lib.9.Eth.c.5. ait,neminem amare, niſi fuerit ante ſpecie delectatus,amori principatū non adimere; illa enim delectatio, amoris origo, a ſenſu eſt oculorum, vel aurium,non a cordis appetitione; nec affectionis animi nomen meretur.

Vt autem voluptatum variam & multiplicem naturam paucis complectar, ſciendum, voluptatū alias percipi ex ijs,quae ſubiiciūtur ſenſibus,alias ex ijs,quae ſunt mentis;quod & Ariſt.tradidit 10. Eth.c.4.Voluptates mentis ſunt caeteris praeſtantiores; primum ob facultatem in qua exiſtunt.deinde propter nobilitatem rerum,e quibus hauriun

tur; contemplatio enim diuinitatem imitatur; cuius gratia philoſophi omnibus corporis voluptatibus nuncium remittunt. poſtea, quia functiones mentis magis nos coniungunt rebus amatis; tangunt enim rem ipſam; at ſenſus feruntur in externa, vt colorem, & ſaporem. tum etiam, quia illae ſunt firmiores, nec faſtidium pariunt, ob ſinceritatem. poſtremo, quia totae ſimul influunt; vt qui veritatem indagat & inuenit, totam ſimul percipit; vnde ſequitur integra voluptas mentis; ſenſus vero mouetur, & voluptate perfunditur per partes. Ceterum delectationes ſenſuum irruunt impetu vehementiore, tum ob vim ſpirituum, qui ſunt inſtrumenta ſentiendi; tum ob munus ipſarum facultatum; principia enim cognitionis, & baſes habendae veritatis vehementes a natura attribui oportebat, quo firmiora iacerentur fundamenta ſciendi. has inter, quae ſpectant ad cognitionem, nobilitate antecellunt; vt quae auditu, & viſu percipiuntur; reliquae vtilitate commendantur magis. ſunt enim ad ſeruandum animal; cuiuſmodi ſunt, quae in tactu, & guſtatu reponuntur. quare a natura quoque inſtitutae ſunt fortiores.

Variantur quoque voluptates pro diuerſitate illorum, quibus inſunt. aliud enim optat canis, aliud bos, aliud equus. Heraclitus dixit, *aſinis culmos & paleas eſſe auro optabiliores*. gallo Aeſopico aeſca videtur auro praeſtantior. ſed & in homini-

minibus disparia reperiuntur voluptatum studia. quippe alius delectatur dulci; alius amaro. debiles in balneo calidiores amant aquas; robusti, & valentes tepidas. Plutarchus refert insigne huius diuersitatis exemplum de duabus fortuna inter se dissimillimis foeminis; eae cum sibi occurrissent in via, quae paupercula sordidaq. foret, non minus auuersata est suauitatem odorum, & aromatum sumptuosae atq. mollis, quam in mendica foetor displicuerit coeparum, & alliorum, diuiti & fortunatæ.

Sunt etiam voluptates interdum inuicem contrariae; quod ex eo probat Aristoteles, quia vna impedit aliam. Sed huius oppositionis origo a motu, & quiete ducitur. desiderium imitatur motum; delectatio quietem. quietes vero sunt contrariae, quae in terminis oppositis existunt; quare delectationes a rebus contrarijs natae, retinebunt eandem diuersitatem.

Hae non sunt omnes laudandae, vt Epicuro visum; nec omnes damnandae, vt placitum Stoicis; sed ratio eas probat. omnium optima est, quae a Dei cognitione, ac amore summi boni promanat. ea enim functio maxime conuenit homini. secundum locum tenet voluptas a contemplatione naturae profecta; tertium, quae ab actione studiosa virtutis; postremum, voluptas felicitatis adiutrix; vt quae a bona corporis habitudine, diuitijs, liberis, cognatis percipitur. Hanc delectationum seriem hosq. gradus

agnouit

agnouit Carolus Cardinalis, ac summam auide amplexatus, partem se meliorem accepisse gauisus est. pernoctabat aliquando in Ecclesia, & longas ibidem interdiu trahebat moras; mersus contemplationi rerum diuinarum; defixus laudibus conditori decantandis: & cum grauissimis tum affecti corporis, tum animi perpetuo pro pastorali cura solliciti molestijs subinde occuparetur, tamen afferebat se in Ecclesia quietem capere, atque horas iucundissime transigere, velut in copię sinu, vel hortulo deliciarum. generosa indoles, & ad summum solidumq. bonum aspirās, dedignabatur minutas voluptates, quasi excrementa orbis, vel stercora naturae. firmam vero & liquidam illam quaerebat delectationem, quae contemplatione boni aeterni continetur. rideant licet, qui terrena mirantur; nec spiritale gaudium, vel summis vnquam labellis delibarunt. Sardonice namque rideant necesse est. Lector, non te moror Christianae disciplinae praeceptis recēsendis, nec a philosophorū studijs abduco. Vita contemplationi rerum altissimarum dedita primum tenet felicitatis locum, teste ipso Aristotele, homine philosopho, & a lautitia non alieno. fatetur scilicet in postremo ad Nicomachum lib. cap. 7. vitam hanc superiorem esse humana condicione; atque illum, qui ita viuat, vti diuinum quid suspiciendum; non habendum pro homine; quod nobilissima parte sui viuat, factus inter homines, quasi Deus. Anniceris Cyrenaeus philosophos non homines, sed Heroas, mediae cu

iusdam

iuſdam inter homines Deosq. naturae, conſtituit; eoq. commento Platonem vi tempeſtatis Aeginam delatum, &, quod Athenienſis foret, mox occidendum, morti ſubduxit; quod diceret legem de necandis Athenienſibus latam in homines eſſe, non in ſemideos. Nos qui fabulas odimus, ne tantum philoſophis tribuamus; contenti eos dicere beatarum mentium, atque adeo ipſius rerum omnium artificis & auctoris, imitatores, eidemq. felicitate viciniores; quos inter primum illi gradum teneant, qui ſummi pulchri amore incenſi, mentem non ad naturam atque motum, ſed ad naturae motusq. principium, ac orbis auctorem, conuertunt, eiusq. contemplatione paſcuntur. His epulis coeleſtibus, & plane diuinis Carolus Cardinalis delectatus, non immerito mortales delicias, quaſi nullius ſaporis, contempſit & abiecit.

CAP. II.

De cauſſis Gaudij, & Voluptatis.

QVI amat, eo ipſo, quod amat, amatae rei iungi cupit. quod vbi fuerit conſequutus, magno gaudio perfunditur. quare gaudij cauſſam non aliunde, quã ab amore, ac deſiderio, vti monuimus, expletis, petemus; vel, quod in idem recidit, a bono conueniente, praeſente; vel concepto vti praeſente, cuius deſiderio tenebamur.

hinc

hinc liquet ad gaudium tria requiri, bonum dele-ctans; coniunctionem cum bono; cognitionem istius coniunctionis.

Voluptatis vero causa est functio secundum naturam. hoc in uniuersum de ijs, quae gaudium, & voluptatem pariunt dictum. quod si ad particularia magis descendere lubet, non incommode hoc ordine distinguantur, & enumerentur.

Primo. Actio secundum naturae propensionem; vt habetur lib. 10. Ethic. nam per illam bono vnimur. & quod naturale est delectat, idemque praestat status naturae consentaneus.

Secundo. Consuetudo, quae proxima est naturae. nam semper, & saepe vicina sunt. natura eorum est, quae semper fiunt; consuetudo illorum, quae saepe.

Tertio. Actio sponte suscepta. vis enim naturae aduersatur; & necessitati adiuncta est molestia; quapropter laborum remissiones, vacationes, otia, ludi, somni, quod non sunt a necessitate, in suauibus numerantur.

Quarto. Memoria praeteritorum bonorum; cogitatio futurorum. faciunt enim rem praesentem. sed & malorum recordatio delectat; si quid inde boni aduenit. suaue enim est malo carere. Virgilius.

haec olim meminisse iuuabit.

ira quoque ob spem futurae vlctionis gignit voluptatem, dum eam facit quasi ad manus existentem.

ſtentem. luctus etiam, & lamentatio id ipſum praeſtat, dum eum, cuius cauſſa lugemus, ſub oculis exiſtentem fingimus. Homerus.

Sic ait, & cunctis lugendi incuſſit amorem.

& Virgilius.

O mihi ſola mei ſuper Aſtianactis imago
Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat.

Ouidius vero aliam reddit eius rei cauſſam,

eſt quaedam flere voluptas;
Expletur lachrimis, egeriturq. dolor,

Quinto; Victoria; qui enim vincit, fit victo ſuperior. ſuauiſsimum vero eſt praecellere aliis. ideo delectant ludi, oratorum concertationes in iudicijs, ſaltim poſt aſſuetudinem; & venationes; continent enim ſpem victoriae.

Sexto, Mutatio, & varietas, cuius cauſſam quuerit a Deo Sanctus Auguſtinus 8. Confeſs. cap. 3. miraturq. cum Deus, & quae circa Deum ſunt, iiſdem perpetuo gaudeant, cur homo alterno profectu, delectuq, oblectetur. hoc placet aegris, illud valentibus. auram, & refrigerationem quaerimus aeſtate, ignem hieme. vnde ait Euripides, *rerum omnium iucundam eſse commutationem. & ſatietas mortales capit etiam mellis, ac florum veneris, vt ait* Pindarus; *& laetitia ipſa tandem faſtiditur*, dixit Theocritus in Megara. eius ſatietatis rationem facile eſt aſsignare. perpetua enim in eodem ſtatu permanſio ſuperat habitum naturę conſentaneum; cum natura ſit in fluxu. Ne vnius quidem diei ſpatio iidem perſtamus, ſed animis,

corpo-

corporibusq. perpetuo diffluimus, inquit Nazianzenus orat. 5. de Theologia. Quapropter mutatio occeptifsima eſt naturae, vti eius conditioni valde accomodata. delectant etiam quae fiunt interualla temporis, vel ob raritatem, vel ob requietem. Tertio. Quia vbi naturalis facultas diu inhaeſit rei ſibi ſubiectae, amittit proportionem cum illa; vt qui colores, quantumuis oculis gratos, atque iucundos diutius inſpexit, tandem dolore contracto oculorum laſſeſcit. omnes enim humanae functiones ſunt ad certum tempus limitatae; & *quicquid nimium eſt, ingratum quoque & iniucundũ fit*; omnisq. eo fruendo, ſuauitas amittitur. Quarto. quia natura multa ſcire, & experiri deſideramus; quod quia una in re non aſſequimur, quaerimus mutationẽ. id ipſum etiam, quod percipimus, totum ſimul capere vellemus, non partem poſt partem; ideo receſſum vnius, & aduẽtum alterius deſideramus. pulchre. D. Auguſtinus 8. confeſſ. cap. 11. Non vis vtique ſtare ſyllabam, ſed tranſuolare, vt aliae veniant, & totum audias. demum placet mutatio propter nouitatem. noua delectant, quia functiones ab initio ſolent eſſe vehementes; ideo magnam afferunt voluptatem; in progreſſu negligenter adminiſtrantur; & voluptas deferuet, atque obſcuratur.

Ceterum ſi mutatio ſit nimis frequens, vel ſtatus naturae conueniens breuiſsimo tempore duret, triſtitiam a crebra nouatione parit, quae ſine moleſtia, & perturbatione ſenſus eſſe non poteſt.

Septimo.

Septimo. Admiratio, tum ob nouitatem, tum quod habet adiunctam spem noscendi, atq. adeo aliquam inuoluit notitiam de nouo aduenientem. qui enim admiratur, scit rem aliter se habere, quã antea fuisset opinatus. discendo vero constituitur mens in statu naturæ consentaneo; vnde scire multo magis erit iucundum. In summa, qui admiratur, vnum cum alio confert, & actum exercet rationi valde connaturalem; scribit Arist. 1. Rhet. cap. 11. delectabile esse liberari a magnis periculis; quia est admirabile.

Octauo. Beneficia tum conferre, quod conferentes facit quodammodo superiores; tum accipere, quod accipiendo quis, quae optabat, assequitur. utrumque uero suauissimum est. idcirco propinquos corrigere, & ab alijs coepta absoluere, iucunditatem parit. id enim conferre beneficium est. qui etiam ab alijs inchoata absoluit, gaudet, quod opus omne suum fecisse uidetur.

Nono. Ea facere, quibus imitatio aliqua continetur; etsi quae imitamur, non sint iucunda, quales sunt pictorum operæ in figuras deformes collatae; uel res atroces, immaniaq. facta fabulis contenta poëtarum. neque enim ex ijs Poetae, pictoresue uoluptatem capiunt; sed quoniam animaduertunt, hoc illud esse, ac se a scopo non aberrasse, artemq. callere laetantur. illa enim sunt e numero suauium.

Decimo. Casus tragici, & ancipites, ac subitae rerum mutationes. pariunt enim admiratio-

nem,

nem, & nouitatem.

Vndecimo. Similitudo morum, & condicionis vitae. aequalis aequalem delectat; & leo leonem nouit; lupus lupum. hinc fit vt omnes sint sui amatores. quisque enim sibi simillimus est, & coniunctissimus. ab eodem sui amore dilectio nascitur partuum propriorum, operum, poematum, scriptionum; quibus longe magis oblectamur, si nostra sunt, quam si aliena.

Duodecimo. Imperare; ergo & sapientem esse. id enim regium videtur; & *Sapiens dominabitur astris*,

Decimotertio. Alios repraehendere. omnes enim honoris studio tenentur; reprehendere autem sunt partes honoratiores.

Decimoquarto. Versari, & occupari in eo, in quo quis se excellere putat. [Euripides.

Namq. vrget illud quisque, & in illo temporis
Ponit diurni maximam partem libens;
In quo ipse met se vincit, & praestat sibi:

Decimoquinto. Ordo. inducit enim statum naturae conuenientem. *nihil* quippe *inordinatum a natura*; quae ordine summopere oblectatur.

Decimosexto. Contumeliam facere; quoniam praestare se illis existimant, quibus insultant.

Haec ex Aristotelis 1. atque 2. Rhetoricorum libro desumpta, & in hunc locum translata, & auctarijs locupletata, non inutilem, vel iniucundam habent de voluptate, atque gaudio lectionem.

Postremo

Poſtremo malum inimicis,vel ijs,quos odimus illatũ,voluptatẽ gignit in animo,quæ ἐπιχαιρεκακία vocatur; latine gaudium de malo alieno; quod qui odio habet, interdum inuiſi hominis mala accipit quaſi propria bona. nefarius, abiectiſsimiq. animi affectus, magnisq. viris indecorus. exemplo ſit Phociõ,qui Philippo defuncto, Athenieſes imo lare ob laetum nuncium, prohibuit; *quod abiecti eſſet animi, malis exſultare alienis*.

CAP. III.

De effectibus Gaudij, & Delectationis, ſiue Voluptatis; vbi multa de Riſu.

PROMISCVE hi nobis referendi, abſq. vlla Gaudij a voluptate diſtinctione, quod etiam fecimus, dum eorundem cauſas recẽſeremus. ſunt autem diffuſio ſanguinis, oris rubor, ſanitas, & interdum pernicies; functio muneris, ſitis delectationis, & quandoq. faſtidium.

Rubent, qui delectantur, a dilatatione cordis, atque ſanguinis diffuſione. ad praeſentiam enim rei iucundae ſanguis expanditur verſus partes externas, quaſi rem caram amplexaturus, in conſpectu poſitã. inde rubor in ore. quae cõmotio moderate excitata, iuuat ſanitatẽ, ob exercitationẽ, agitationẽq. ſpirituũ, qui alias in perpetua quiete marceſcerẽt; & quia partes extimae, quę remotae a fonte caloris, frigent, fouentur eiũs beneficio; & calore tranſmiſſo inſtaurantur; quod ad valetudinem magnopere conferre, tum ratio, tũ experientia docent.

ipsa quoque delectatio prodest per intercapedinẽ molestiae, atque animi corporisq. requietem. Est communis medicorũ sententia in aegritudine animi peruicacius retẽta, parum, aut nihil medicamẽta prodesse. sed & illa Sapientis sunt, *Cor laetum pro medicina*; *Spiritus tristis exiccat oßa.* vt maius omnino sit, quod tristitia corrumpit, quam quod ars medendi restituit. Delectatio vero immoderata perniciem saepe atque exitiũ creat. multi enim a nimio subitoq. gaudio repẽte occubuerũt; quod cor destituatur sanguine, atque calore, vbi ad laetum nuncium, vel rei carissimae, praeter spem receptae, conspectum sanguis totus ad extima confluit. scribit Valerius lib. 9. cap. 12. post cladem ad Trasimenum acceptam, matronam Romanam accepto falso de filij morte nuncio, domi mestissimã consedisse; superuixisse tamen dolori; eandem ad filij incolumis reuersi conspectum subito exspirasse. sic, admirando euentu, quam dolor maximus non extinxerat, laetitia absumpsit. satis vero illam apparet famam de nece filij immoderatae tulisse, cum eo reduce, gaudio sit exanimata.

Diagoras Rhodius, quo die tres filios athletas victores vidit, in eorum complexu animam egit. Equidem censeo procliuius esse, gaudio mori, quã dolore. natura enim gaudio vti amico, laxat habenas; dolori resistit ac reluctatur quantum potest.

Risus quoque prouenit a delectatione. Risus est motus oris & pectoris, factus a diaphragmate, per musculos, ad rictus, & buccas. neque vero laetitia

risus

risus excitatur, nisi noua & repentina; vt facetijs, argutijs, rebus inopinatis, quae delectent. nascitur enim ab admiratione, atque suspensione animi; si nouum repraesentetur excitat admirationem; admiratio suspendit animum, & quasi in arcto concludit; iucundum tollit suspensionem; qua sublata, quasi dissolutis vinculis, cor dilatatur & in risum homo effunditur. Excitatur quidem aliquãdo risus absq. delectatione. scribit enim Arist. lib. 3. de partib. animal c. 10. aliquos ex vulnere in praecordia adacto, ridentes obiisse; quod diaprhagma tactum a partibus laesis, & palpitantibus, musculos moueret ad risum comparatos. est etiam risus affectatus qualis ille Democriti; qualis subsannãtium; qui in ore formatur, non in praecordijs. sed hi risus non sunt naturales; quibus alium adiunxeris a Lycophronte, Platone, Homero, Cicerone, *Sardonicum* appellatum, qui vel fuit risus fictus & amarulentus, aut contumeliosus; quo sensu Plato vsurpauit; & Lucianus in Asino; vel certe fuit morti coniunctus; cuius duplex assignatur interpretatio alij, vt Zenodotus in collectaneis ad Aeschilũ, ferunt in Sardone Carthaginiensium Colonia senes, annum septuagesimum egressos, sacrificari solitos Saturno; quam illi necem ridentes ferunt, quasi ad meliorem vitam transmigraturi; vel ne mortem timere viderentur, quã nihilominus ægerrime ferrent. alij, auctore Pausania, scribunt, in insula Sardoa herbam gigni, quam qui edunt, ridẽtes moriuntur, vel constrictis praecordijs, dilatatis

ri&ibus,a noxia herba diſcruciati, quaſi ridentes apparent. Sed,vti praediximus, hic riſus nec a dele&atione exiſtit, nec a natura. Omnis vero riſus immoderatus laedit,& aliquando ſtrãgulat hominem. Zeuxis pi&or, dum anum eleganter a ſe pi&am ſine fine ridet, ridendo animam efflat. Criſip pus,ſeu Philemon, aſello conſpe&o, ficus de menſa edente, puerum aduocat, vt beſtiam abigat. ille non prius accurrit, quam ficubus a non inuitato conuiua confe&is; cui Philemon; *Posteaquam cibum aſello dediſti, praebe*, inquit, *& potum.* argutum di&um, quo au&or adeo dele&atus eſt, vt in maximum illico ſit cachinnum effuſus; nec finem cachinnandi fecit, donec vna faceret uiuendi. nimius quippe riſus a corde ſanguinem, & ſpiritus propellit ad fauces; vnde ſequitur praefocatio,per interclufionem animae; tum etiam deſtitutio cordis a calore. vtrumque vero comitatur interitus.

Riſui magis obnoxij ſunt,qui abundant ſangui ne, ob ſpirituum facilitatem, quam qui atra bile, humore craſſo, & ad motum ſegni. ſed hi conceptum riſum retinent diutius. in epulis, dum vino indulgemus, dumq. hilaritati ſtudemus, proniores exiſtimus ad riſum, ob ſpirituum ere&ionem, atque diſcurſum. Sunt & ad riſum faciles, qui minus habent experimenti, & vſus rerum; his enim pleraq. noua ſunt; vt pueris, mulieribus, fatuis. nimius ergo riſus inſcitiae, futilitatis, ſtultitiae eſt argumentum. ſapientes minus rident, quod pauca illis videantur noua, vel quod riſum

de

de industria continent.

Tertius delectationis, propriae scilicet, non extraneae, vel alienae, effectus actio est, omnisq. humana functio. hanc enim rebus adiunxit natura, ne mortales refugiant laborem in agendo positum; sed voluptatis dulcedine pellecti, insistant operi, & ad exitum semel suscepta deducant; vt in extremo Ethicorum libro Aristot. affirmat. sed aliena, vel excedens modum delectatio oppositum praestat; tum quia distrahit animum, ne se facile colligat, tum quia sensum opprimit, & absorbet; vt Aristot. docet lib. 10. Ethic. cap. 5.

Quartus effectus delectationis est eiusdem sitis. Primo, ex memoria iucundorum elapsorum; ni a delectatione facta sit immutatio, nosq. poenituerit eorum, quibus oblectabamur; tunc enim eius memoria parit fastidium. experiuntur hoc ij, qui a vita libidinosa, & intemperante ad honestam, & pudicam traducuntur. Secundo, quod voluptates sensim per partes adueniunt; quapropter ratione partis, quae nondum aduenit potest delectationis desiderium ab ipsa delectatione fieri. Tertio, quod in rebus humanis nulla tanta est delectatio, quae satiet sitim cupiditatis; vt potius voluptates, quibus fruuntur mortales, excitent appetitum sui, quam expleant; quod ijs contingit, qui in vehementissimo ardore pusillum aquae nanciscuntur; vel qui siti enecti, vbi paululum biberint, vi auelluntur ab aquis.

Ex euentu postremum addimus effectum delectationis, fastidium sui; si enim delectatio sit vehementior, vel diuturnior, corrumpit proportionem obiecti, cum facultate naturali; quae a vehementi sensili laedi solet. sed & molestiam abscedens delectatio post se relinquit (vnde celebre fuit dictũ Sapientis, *extrema gaudij luctus occupat*;) eoq. maiorem, si tota recedit; nulla alia, vel minore voluptate succedente. odit enim natura transitum ab extremo in extremum, nisi medium tangatur, vti violentum, & sibi inimicum. quae si non impedirent; nihilominus ipsum delectatione priuatum esse, tristitiam parit. Si autem hae voluptates sint contra rationẽ, earum recordatio vellicat animũ, a conscientia turpiter admissorum, ac moerorem inducit. Demum laetis tristia Deus miscuit, ac *voluptatem, & molestiam in vnum coaptauit fastigium*; vt est in vetere fabula; ita vt vbi vna recedit, altera subsequatur; quemadmodum Iudaeus Philo scribit in lib. de Temulentia.

Remedia huius affectionis ab ijs, quae de amore ac desiderio diximus, petẽda. sublata enim caussa tollitur effectus. illud adijciam; cauendum a voluptate etiam honesta, ne subigat, & mancipet animum. gratiosa enim est, & omnibus acceptissima, valuisq. vbiq. patentibus excipitur: interim subdole capit mentes humanas, delinit, eneruat; vt nihil pensi habeant, praeter delectationẽ; quod sine maximo vitae humanae detrimento esse nequit: voluptas enim data est ad actiones factionesq. suscipiẽ-

das,

das, & promouendas; & praecipuum in vita functio muneris tenet locum; cui voluptas adiuncta est; vt pulchritudo iuuentuti. si quis igitur functiones munerum obeat, vt voluptate fruatur, naturā euertit, & generosae vitae cursum corrumpit, factus de homine Epicureus. idcirco 2. Ethic. c. vlt: monuit Aristoteles in omni negotio, quicquid iucundum est, summō studio vitari oportere. eius. n: non incorrupti iudices sumus; specie ac pulchritudine victi, atque illecebris irretiti. Nuni igitur Troiani Proceres imitandi; qui apud Homerum Helenae formā summis laudibus celebrata, eam nihilominus procul abire; iusserunt, vti sibi suisq. periculosam? illorum enim voces hae sunt.

Non erat indignum certe tot funera Troas,
Tot mala pro tali Danaos tolerasse puella;
Caelicolis simili formae splendore Dealus.
Sed tamen ipsa suos redeat cum nauibus Argos
Ne cladem nobis, nostrisq. nepotibus olim
Inferat, & superet multorum caussa laborum.

Aristoteles certe censuit, honestae voluptati nō omnem in animo locum, sed principem, adimendum; quod muneris functio scopus existat, ad quē collimare nos decet; nō voluptas. Equidem ex Caroli Cardinalis, qui nobis innōtuere moribus, praeceptum vitando periculo hāc in perplexitate non incongruum prompsisse me reor. Quos diligeret, aliquid a se flagitaturos, nō audiebat sine suspicione, ut amoris impetu ad iniqua concedēda adigeretur. Federicum Borromeum patruelem suum;

ob praeſtantis ingenij lectiſsimaeq. indolis laudē, a pueritia dilexit vnice, ac prae ceteris neceſsitudinibus cariſsimũ habuit; apud ſe nihilominus educari noluit, magnarum quamuis rerum ſpem certam in tenera aetate praebētem; veritus ne vis ſanguinis, excellenti aucta pueri virtute, ſeuerum animũ deliniret, manciparetque. ſic nobis voluptates honeſtae admittendae illae quidem, ſed ſubodorandae *naſo Attico*, quales ſint; num longius ſerpere valeant; & ne a caeteris praeclaris, quae multae in vita occurrunt, functionibus nos retardent, totosq. ad ſuauitatem trahant, ſuſpenſo animo admittendae. Voluptatis enim, vt eorum, quibuſcum ſanguine iungimur, non ſumus incorrupti iudices. Hunc Federicum admodum adoleſcētem ob praeclaras animi dotes, ac familię decora, inter S. R. Eccleſiae Cardinales a Sixto Quinto Pontifice Max. cooptatum, nec multo poſt a Clemente Octauo Mediolanenſi Eccleſiae Antiſtitem, aetate Sacris Pontificijs capeſſendis fere immatura, datum, fortitudine animi, caſtitate morum, vigilantia paſtorali, vitae ſanctimonia, Epiſcoporum antiquorum, imaginem perenni functionum curſu referentem, boni omnes magnopere colunt; nosq. apud eum non infimum tenere gratiae locum, non immerito gloriamur. ſuauiſsimum enim atque honeſtiſſimum eſt, amari, laudariq. a probato viro.

DE

DE ODIO ET MALEVOLENTIA.

CAP. VNICVM.

Explicatur quid ſit odium; quae illius cauſſae; qui effectus; quae remedia.

EXPLICATIS affectionibus primaeuis concupiſcentis facultatis, quae bonum reſpiciunt; gradum ad eas facimus, quae occupantur in malo. hae tres numerantur. Odium, Auerſatio, vel Fuga, Dolor, ſiue Triſtitia. Odium alio nomine maleuolentiam recte dixeris; etſi haec rationem ſequitur, nec habet locum in belluis. Latini ſaepe inuidiam pro odio vſurpant. nos odio, & maleuolentia promiſcue vtemur.

Odium eſt appetitus diſplicentia, in re ſibi minus conueniente; opponiturq. amori, vt negatio affirmationi. affirmat amor, cum tendit ad bonū; odium negat, cum recedit a malo; quodq. affirmatio, & negatio praeſtant in mente; amor & odium exercent in appetitione; vt in 6. Ethic. cap. 2. acute aperuit Ariſtot.

Odium

Odium vero duplex est; alterum originem ducit ab amore sui; quo pacto perditi & scelerati odio habent leges, & magistratus, vti sibi infestos; alterum sistit in reipsa, quam odio habemus; sic boni oderunt improbos, a quibus non timent. haec de proximis odij caussis dicta. nam si altius repetas, tandem omne odium ab amore deriuatur; vt omnis negatio ab affirmatione. odimus .n. aliquid, quia corrumpit illud, quod bonum opinamur, atque diligimus. quare amorem primo respicimus; post odium. nec alius ordo in proposito obtinet. at vbi exequimur, ab odio incipimus. odium quippe tenet locum termini a quo; amor termini ad quẽ: & in mente hic prior existit; in exequutione vero, qui opponitur illi.

Caussae odij sunt malum, quod vel vere malum est, vel apparet; tum naturae, ingenij, morum contrarius habitus; qua ratione ouis lupum odit; leo gallum gallinaceum; Ibis serpentem; cuiusmodi multa est apud Aristot. legere historiae lib. 9. Et ne superuacaneis paginas impleamus; eorum, quae amorem pariunt, opposita, vt plurimum creant odium habentibus. Austeri igitur, & congressu difficiles, morosi, laudis alienae detractores, odio sunt obnoxij; tum ij, quibus damnum & iniuriam fecimus; *procliue nãque est homini odisse quem laeserit*; quod vel timet vltorem; vel, natura ipsa, in inferente iniuriam exsurgit maleuolentia erga patiẽtem; vti collatione beneficij conciliatur, & augetur conferentis amor erga accipientem. Quos etiam offi-

cere ſuae laudi arbitrantur, vel quorum famae inuident, odiſſe ſolent; quae Neronis in Domitium Corbulonem odij, & interitus viri clariſsimi origo fuit.

Creſcit odiū ſi recondatur; ipſoq. ſecreto augeſcit; vt in Tiberio Tacitus oſtendit; *odia in longum iaciens, quae reconderet, auctaq promeret*. nec id in Tyberij moribus latuit Seianum; *gnarum, in meditando lentum, vbi prorupiſset, triſtibus dictis atrocia facta coniungere*.

Odij effectus ſunt fuga a malo; atque detrimentum ei, cui male cupimus, illatum; dolor praeterea, & a dolore, ſi nimius exiſtat, corporis aegritudo. omni quippe odio dolor aliquis comitatur, cum ſit functio muneris naturae haud conſentanea, vt ex Ariſt. lib. 2. Ethic. colligitur. quod ſi valde odium intendatur, auget dolorem; & ualetudinem corrumpit. dolor enim deſtruit naturam; vidimusq. non paucos, maligni homines ingenij, odio in alios, quaſi tabe, paulatim conſumi. Sed & odij partum excandeſcentiam ponere licet, ad repellendum malum excitatam. quapropter Ariſtot. 5. Polit. cap. 10. iram ponit particulam odij.

Ceterum ira odiumq. multifariam differunt; ac primo quidē origine. illa enim inſurgit maxime, quod nos, noſtriq. iniurioſe habiti ſimus; hoc quod acceperimus detrimētum; vt monet Ariſt. 5 polit. cap. 10. & in Rhet. ad Alexand. cap. 33. quare ira generoſorum eſt pectorum magis, quam odium. *Grauius* quippe *contumeliam ferimus quam detrimentum*,

tum, ni abiecto nimis animo ſimus, ait Plutarchus in Timol. Praeterea tantum concitatur ira, ſi quid in nos noſtrosq. praue admittitur; at odium ob illa etiam, quae a nobis longe ſunt poſita; qua ratione omnem improbitatem odimus, vt Ariſtot. docet 2. de arte dicendi. Ira quoque eſt in hunc vel illum, ut in Cleonem, vel Clitophontem; naſcitur enim ex facto ſingulari alicuius; odium tendit ad vniuerſa; vt hoc vel illud genus hominum; atque adeo fertur in ipſam naturam. illa non facile rationem admittit ob doloris vehementiam; hoc magis ratione vtitur. poteſt enim eſſe absque magno admodum dolore; vt ab Ariſtot. traditur 5. polit. & 2. Rhet. illa tempore ſanatur facile; hoc deletur difficilius. quod ſi odium a natura inditum ſit, exiſtit inſanabile. Pulchre Herodes Sophiſta in orat. de Rep. *Quod eſt natura inimicum, numquam, niſi cum deeſt malefaciendi facultas, quieſcit*. demum differunt effectibus. ira ſtudet importare dolorem potius, quam damnum; odium damnũ magis, quam dolorem. qui alicui eſt iratus, vult eum ſentire, dum vlciſcitur; qui inimicitias exercet, nequaquam id curat; ſed intendit inferre detrimentum: vnde iratus multis aduerſarij calamitatibus tandem flectitur; qui odit non mouetur miſeratione. vult enim inimicum extingui. nec aliam exciſæ Chartaginis cauſſam inuenias, quam odium, *quod*. vt ſcribit Velleius, *ne in victos quidem deponitur; neque enim ante quid inuiſum eſſe deſinit, quam eſſe deſiit*. In mortuos ceſſat odium na-

tura

tura sua; quod enim non est, non potest odio haberi. sed perseuerat interdum erga memoriam, quae illos, quasi viuentes, refert.

Remedia huic morbo a charitate petenda, qua cum Carolus noster arderet, in nullius umquam odium erupit, nisi flagitijs inquinatum; & deploratum. tunc enim odisse coeperat, cum fuerat de sanitate desperatum. donec spes affulsit salutis, opera, industria, labore, asiduitate, liberalitate numquam non gentibus est opitulatus; cuius egregiae voluntatis monumenta innumera post se reliquit; sed odisse coactus, crimina potius detestatus est, quam hominem. & vbi ad naturae vitium errata transferre poterat, voluntati & electioni parcebat. certe familiarem quendam insignite contumacem patienter toleravit; dictitans, naturae magis vitio peccare illum, quam consilio. Videor mihi, etsi paucis, cumulate nihilominus de odij natura disseruisse; modo illud subiiciam; amorem esse odio valentiorem. nam amor sui fortior est quacumque appetitione. Quod si vertitur aliquando amor in odium, non ab illo vincitur, sed amor in alium ab amore sui, vti a robustiore, superatur, & eiicitur.

nionibus mutuanda. opus enim est non falli, aut seduci visis. hoc vitio laboramus, vt non rebus perturbemur, sed ijs, quas de rebus habemus, opinionibus. Epictetus docet mortem non esse malum; alioqui & Socrates talem reputasset. sed opinio vulgi de morte illam, vti malam, inducit in Scaenam. qui vult igitur pauca auersari, cohibeat opiniones; nec facile assentiatur visis. At si quae sunt vere mala, nec aliter de ijs existimari potest; considerandum, an ea euitasse sit nostri arbitrij; quod vbi mente fuerimus assequuti, ad illud nos Epicteti conuertamus. *Appetitio pollicetur fore, vt consequaris quod appetis; auersatio ne in id incidas, quod auersaris. is porro, quem appetitio frustratur, infortunatus est; qui in id incidit, quod auersatur, calamitosus. itaque si ea solum auersere, quae eorum naturae, quae in potestate tua sunt, repugnant; in eorum, quae auersaris, nihil incides. at si morbum auerseris, aut mortem, aut inopiam; calamitatem subibis.*

Carolus Card. pauca habuit, quae, vti detrimentosa, declinaret; quoniam ex ijs, quae mala censentur a multitudine, pauca eiusmodi esse opinabatur. Culpam quidem omnem fugiebat; & a se, suisque, quantum poterat, arcebat; Sed iacturam patrimonij, & incommoda vitae contemnebat, quia nec mala reputabat. Adempta Borromeae genti, praetextu nescio quo, Aronae arce, dixit; si e commodo Regis foret, se quicquid patrimonij reliquum esset, traditurum; vetuitq. ne pro recuperatione arcis Rex vmquam suo nomine interpella-

pellaretur. Dicebat ſe ferre moleſtius clericum flagitij alicuius compertum; quam principum complurium minus aequas in ſe voluntates. quippe ſimultates procerum malas; at ſi abeſſet inuiſi hominis culpa, non cenſebat pertimeſcendas. haud igitur multa fugit, qui pauca metuit, vel in malis ducit.

DE TRISTITIA, ET DOLORE.

CAP. PRIMVM.

Quid dolor ſit. Quid triſtitia. Quae eorum cauſſae.

AEQVIVOCA hic etiam ſeperanda. etſi enim plerumque dolor, & triſtitia confunduntur, proprie tamen dolor a malo eſt, quod per corpus illabitur; triſtitia vero a malo adueniente per viſionem, ſiue phantaſiam. quare 14. de Ciuit. cap. 7 ait D. Auguſt. *triſtitiam in animo dici; dolorem in corpore*.

Alias dolor opponitur voluptati animi, qua ratione iuxta dictum Ariſtotelis, omnem operationem voluptas, vel dolor comitatur; ac triſtitiam reſpicit, vti motus quietem cum vi coniunctam. Alias nomen eſt generis, tum in ſua ſede exiſtentis; tum propriam ſpeciebus appellationem communicantis; perinde ac voluptas interdum nomen eſt generale; interdum pro gaudio ſumitur. voluptati enim opponitur dolor; gaudio triſtitia. Moeror, moeſtitia, aegritudo animi diuturnitatem triſtitiae innuunt. Melancholia eſt humor in

Splene, qui & atra bilis.

Eſt autem triſtitia dolor animi de malo re ipſa, vel per phantaſiam praeſente; imitaturq. grauium atque leuium a vi exiſtentem quietem. Eius ſpecies a Damaſceno 2. de fide orth. cap. 4. atque Nemeſio 4. lib. de hom. cap. 12. quattuor numerantur. Miſericordia, Inuidentia, Anxietas, Accidia. Ego vero plures conſtituo; & primo quidem dolorem de malo proprio, vel amicorum, ex eo tantum acceptum, quod nos illique malum patimur. haec prima triſtitiae ſpecies, quod ſimpliciſſima eſt, maximeq. pura, nomen ſibi vendicat generis.

Altera triſtitiae pars eſt dolor de malo proprio, dedecus, non damnum afferente; diciturq. verecundia.

Tertia eſt dolor de malo alterius, quo eum indignum ducimus; & appellatur miſericordia, vel miſeratio.

Quarta eſt dolor de bono alterius; non quod inde accipimus detrimentum; ſed quod is bono fruitur; & nominatur inuidia, vel inuidentia.

Quinta eſt dolor de bono alterius, quo eum indignum opinamur; & dicitur indignatio.

Sexta eſt dolor de bono alterius, quod illi quidem ademptum nolumus; aegreferimus tamen, quod eo caremus; haec dicitur aemulatio.

Addendae poſtremo loco anxietas, quae anguſtia eſt animi vehemens ex fuga mali; tum accidia, quae, occupatis anxietate nimia mentis, at-

que

que corporis viribus, insurgit; ac hominem reddit syderato, aut multo veterno oppresso similem; vt nec animo nec corpore moueatur. De anxietate, atque accidia plura non habemus praesenti accõmodata negotio. de reliquis agendum paucis; & primum de simplici illa tristitia, quam a nostris, nostrorumq. malis capimus.

Eius integra causa malum est, vel praesens, vel habitum pro praesenti; tum bonum amissum; retardatio adeptionis boni; & omne quod resistit appetitioni. habent enim haec speciem mali. augetur mire, si malum non possit eiici. sublata nãque spe finis malorum, nullum superest miseris solatium; tum etiam si fuerit subitum, & improuisum; nam non exspectata magis feriunt; cum animum imparatum offendant, & ictibus peruiũ. vel vt ait Tull. in Tuschul. 3. quod quanta ea sint, considerandi spatium non datur. ac demum quod cum videatur praecaueri potuisse, si prouisum esset, quasi culpa contractum aegritudinem acriorẽ facit. Vlysses, cane mortuo, non continuit lachrymas; vxori assidens flenti, siccis eam oculis spectauit, quod paratus venisset, animoq. obfirmato; vt lib. de animi trãquill. Plutarchus annotauit.

Ex euentu amor, & desiderium tristitiam pariunt; vel ob rei amatae absentiam; vel ob metum amittendi; augeturq. ab atrae bilis copia, spiritibus compressis, & ingesto frigore; quod & illa praestant, quae sanguinem crassum gignunt; vt studia, inediae, vigiliae, cibi frigidi atque sicci;

qualis caro bubula; tum vinum nigrum, & ſal copioſius menſae adhibitum.

CAP. II.
De effectibus doloris, & triſtitiae.

EFFECTVS vero doloris ac triſtitiae ſunt corpori animoq. admodũ detrimentoſi. Chryſippus λύπην a graecis dictam affirmat, quaſi λύσιν, ideſt, *ſolutionem*; hominis enim vires, & facultates triſtitia ſoluit. Sapiens appellat mortem; quia nihil eſt, quod magis laedat, enecetque.

Primum igitur incommodat corpori; magisq. nocet valetudini, quam vlla alia affectio. Praeclare Maximus Tyrius. *Dolor, vbi ſubierit corpus, eiusq. ſe partibus infuderit, naturalem ſubſtantiam perturbat, non ſecus ac in ferrum ignis inductus.* Porro commotiones animi a malo, vt triſtitia, metus, deſperatio ſunt contra naturam; ideo nocent, etiam vbi non excedunt; quod ſunt natura prauae. aliae vero obſunt ſolo exceſſu; moderatae iuuant ſanitatẽ, ob ſanguinis & ſpirituum agitationem. detrimentum eiuſmodi per contractionem ſanguinis infertur; qui quod calidus eſt, amat diffundi & quia pro organo naturae datus, auet ad omnes commeare partes. Ceterum, quia malum praeſens vrget, quam abſens magis, triſtitia metu atque deſperatione deterior exiſtit. deſperatio quoque, ſe móta triſtitia nón adeo vexat, quia perſequitur quietem, quãtum poteſt; haec igitur omnium deterrima,

terrima, M. quoque Ciceronis testimonio; cuius illa sunt in Tuschul. *Cum omnis perturbatio miseria est, tum carnificina est aegritudo. habet ardorem libido, leuitatem laetitia gestiens, humilitatem metus; sed aegritudo maiora quaedam; tabem, cruciatum, afflictionem foeditatem. lacerat, exest animum, planeq. conficit.*

Secundo. vexat animum, pulsa voluptate, qua in agendo recreari solet; atque spiritibus vna cum calore debilitatis; qui sunt administri functionum animae. Vnde in tristitia constituti, ad agendum inepti, & quasi vinculis constricti videntur; multiq. caussam ignorantes, tantum non se ipsos odio habent.

Tertio. compressionem inducit cordi; ut difficile spiritum colligat. tunc recreamur suspirijs, ac gemitu; ab imo corde facta exspiratione. Verum si habenae dolori laxentur, sequitur oppressio, & interitus repentinus; cor enim circumrigente sanguine praefocatur. Rutilius leui morbo detentus domi, audita fratris repulsa in petitione consulatus illico exanimatur; vt lib. 7. cap. 36. scribit Plinius. Rusciacus Sueuus, relato filij, a Turcis occisi cadauere, oculis rigentibus, dolore profundius ad vitalia penetrante, statim interijt; vt refert Iouius histor. li. 39. Idem testatur, in Auersae deditione Pomperano vitam subito ereptam deliquio, ex dolore, quod Galli tunc demum Neapolitani regni possessione penitus pellerentur. nam admissis in vrbē hostibus, oculos in cęlum tollēs, labiaq.

constringens, repente corruit; nec interclusa anima vllis potuit fomentis reuocari.

Quarto, lachrymas extrudit; quas partus atque fructus doloris, vt poma arborum, dixit Plutarchus in Consolat. hoc de moderato dolore dicimus; qui per spirituum excitationem calefacit cerebrum; & excisum calore humorem per oculos demittit; quod etiam a fumo, vento valido, amore vehementi fieri videmus. Si quis vero sicciore sit cerebro, ei non excutiuntur lachrymae, ob materiae inopiam; sed potius vexabitur capitis doloribus. Sin dolor excedat; vel comprimet circa cor omnem calorem; vel omnes spiritus transmittet ad cerebrum; totumq. illius humorem conficiet, antequam soluatur in lachrymas. Expressit haec Ouidius in Hecuba.

Troades exclamant; obmutuit illa dolore:
Et pariter vocem, lachrymasq. introrsus; obortas
Deuorat ipse dolor; duroq. simillima saxo
Torpet; & aduersae mudo figit lumina terrae;

Idem de Sapphone.

Postquam se dolor imminuit, mea pectora planxi,
Nec puduit ruptis exululare comis.

Exemplum huius varietatis praeclarum videre est apud Aristotelem 2. Rhet. cap. 8. & Herodotum in Thalia. Amasis Rex Aegypti, seu Psammenitus, captus a Cambyse, cum ad mortem filium duci videret; nec in lachrymas, nec in questum effusus est; non suspirium dedit, non voculam emisit. idē ipse, cōspecto amico vetere, a Cambyse bonis exu

to,

to, & mendicante, in gemitus, & lachrymas ſine modo prorupit. cauſſas diuerſorum effectuum doloris reddit Ariſtoteles, quia hoc erat miſerabile; illud terribile. An non verum ſit dicere, nimio dolore, ad conſpectum filij trucidandi, omnem ligatum, & obſtupefactum in parente ſenſum, ne lamentari, vel plorare poſſet? interrogatus enim a Perſa Aegyptius infelix; Cur viſa filia ſeruili habitu cum hydria ad aquam emiſſa; filioq. ſub oculis ad necem deducto, quaſi ab ſe mala illa longe eſſent, non ediderit vocem, aut ſignum oſtenderit doloris; ad amici vero victum emendicantis praeſentiam tam effuſe fuerit lamentatus; *O fili Cyri*, reſpondit; *mala domeſtica erant maiora, quam vt ea poſſem deflere.* Eandem maioris, minorisq. doloris effectuũ diuerſitatem in domeſtico funere ſum expertus. Fratrem amiſi admodum adoleſcentem; venuſtate oris, habitu totius corporis, comitate morum, humanitate, eruditione ad non dubiam eximiae laudis ſpem commendatum. eo exſtincto, dum cadauer propinquae foeminae, officij extremi ergo, noctu, de more, cuſtodiunt, & eiulatus officioſos ad multã lucẽ extendunt; inter eas mater ſtupet, & ſilet: areſcunt oculi, & inſolito ſplẽdore promicant; tument labella; prominent venae; ipſa tamen praecordijs dolorem coquere ſatis habet, tacetque. mandato terrae cadauere, ſoluitur in gemitus & lachrymas; luget die amiſſum pignus, luget nocte; nec multos poſt annos, erepti praemature filij deſiderio, atque dolore, robuſta,

& aetate vigens foemina extinguitur. Sed, vt ad lachrymas redeam, a natura eae dantur, quibus fidem amicis faciamus, noſtri in eos amoris, & com miſerationis. mollem nihilominus animum arguunt, ſi copioſe mittantur. quapropter a viris repellendas 3. de Rep. Plato cenſet, & relinquendas mulieribus. Homerus in Penelope & Vlyſſe vti eas magis deceant, quam viros, oſtendit, inquiēs.

Huius per teneras lachrymarum flumina malas
Manabant, ſocium thalami deflentis. Vlyſſes,
Vxoris fletum miſeratus mente pudicae,
Intra palpebras, ceu cornu, immota tenebat
Lumina, vel ferrum; lachrymas aſtuq. premebat.

Quinto. dolor impedit omnes animi functiones, atque corporis; praeter quam eas, quarum ipſe eſt auctor. trahit enim ad ſe omnem animi conatum; eundemq. ceteris inutilem reddit.

CAP. III.
De remedijs triſtitiae, & doloris.

TRISTITIAE remedia indicantur tum a Philoſophis, tum a Medicis. Eiuſmodi ſunt balnea, & ſomni, quibus dolore ſe leuatum D. Auguſtinus profeſſus eſt. Seneca in Hercule furente;

Tu o domitor ſomne malorum,
Pars humanae melior vitae;

ſomno enim, & balneis dilatatur ſanguis; quieſcit animus a cogitatione malorum; habetq. ſpatium reſpirandi. gignuntur quoque per ſomnum

ſpiri-

ſpiritus recentes, haud infecti atro humore, veteribus conſumptis.

Alterum huius tabis remedium eſt exercitatio modica; tum quod excitat calorem aduerſantem triſtitiae; tū quod reficit, & recreat ſpiritus debilitatos; omnemq. materiem illā craſsiorē imminuit.

Tertium. potus vini albi & generoſi; cibi boni ſucci, calidi, ſcilicet, & humidi, minimeq. craſsi; apertae camporum viriditates; caeli benignitas; aurae refrigerantes.

Quartum. fletus; vt D. Auguſt. teſtatur l.4. confeſſ. eius facti duplex exiſtit cauſſa; alteram Ouidius reddit;

Expletur lachrymis, egeriturq. dolor,

quaſi per vomitionem. altera eſt, quia fletus decet ſtatum moeſtitiae, ac eius diſpoſitionem. recreatur itaque mens, cū aduertit, ſuo ſe munere fungi.

Quintum. Conſolatio ab amicis profecta, vt docet Ariſt. lib. 9 Ethic. c. ij. faciunt enim illi ſe quodammodo participes calamitatis noſtrae; ac, veluti exonerata in eos ſarcina, onere leuamur. Neque vero confeſtim poſt ictum conſolatione dolentem aggredi oportere in Conſolat. Plutarchus monet; ſed imitandos praeſtantes medicos, qui ad repentinos fluxuum impetus non ante afferunt medicinam, quam crudos humores ad maturitatem vngūentis externis deduxerint.

Sextum. delectatio; Etſi triſtitiae, quae vrget, ea non ſit directe oppoſita. omnis porro voluptas vehemens trahit ad ſe animum, vt 7. Ethic. cap. vlt.

&

& lib.10.cap.5.]ait Aristoteles; ac intercapedinem affert molestiae, ipsiusq. naturae instaurationem.

Septimum.contemplatio rerum altissimarum; tum quod per se est delectabilis, & vim habet peculiarem ad pellendam tristitiam,quã curae mortales inducunt; tum quod,vbi ea detinemur, a rebus molestis mentem auertimus; prohibemusq. ne tristitia crescat;neue in eadem animus obfirmetur. nam in moerore positi, quod pessimum est, apud se colligendo, reputandoque,etiam quae bona sunt,& vtilia deprauant;in quo medicorum imitantur cucurbitulas; quae vitiosum ad se sanguinem trahunt, relicto puriore. alleuationem tamẽ, quam illae aegro corpori pariunt, ipsi sibi non conficiunt.

Octauum.reputatio conditionis humanae,malis obnoxiae; quorum pleraq. vitari non possunt; quod non sunt in hominis potestate. bonis etiam fruitur, quorum vsum habet magis, quam dominatum. ideo monebat Epictetus; *Numquam te quicquam perdidiße dicito;sed reddidiße. filiolus obijt? redditus est. praedium amisisti? an non id quoque redditum? igitur bona vti aliena possidenda. Singulis in rebus, quae vel delectant, vel vsui seruiunt, vel diliguntur memento considerare cuiusmodi sint; si ollam diligis, te ollam diligere;nam ea confracta non perturbaberis; si filiolum, vel vxorem, hominem a te diligi; nam eo mortuo non moleste feres.* Anaxagorae illud fuit ad nuncium amissi filij. *sciebam mortalem a me genitum.* illud quoque mente voluendum;primis rerum semi

nibus

nibus casum a natura implicari; & monstra fieri; vt cum quis iniquum rei exitum experitur, nihil sibi putet noui accidisse. Magnitudo igitur animi, eiusq. in casus aduersos praeparatio, despicientia rerum humanarum, memoria conditionis hominum, & eorum quae circumstant, & ambiunt, dolorem, vel repellere, vel eiicere, vel mitigare possunt. Rem Veneream si quis in doloris, & moestitiae remedijs ponat, fallitur. nam ea magis tristitiam parit, & auget a recessu caloris, & virium debilitatione. quare ait Aristoteles, ab adolescentibus odio haberi solitas mulieres, quas primũ iniuerunt; quod experti tristitiam post vsum, eas illius aegritudinis caussas opinantur. ex quo dispicias facile, cur Aman ab impotenti amore ad summum odium, atque stomachum erga Tamar sororem, post vim illatam, illico fuerit traductus. vsus enim tristitiam induxit adolescenti; auxitq. facinoris indignitas.

CAP. IV.

De corporis dolore tolerando.

DE dolore autem, qui per corpus illabitur, vti sit ferendus, pauca subiicio. de curatione Medicus agat. Porro doloribus quantumuis acerbis in muliebres mollesq. eiulatus, & complorationes exsolui, viro indecorum. sed ipsum Herculem cogere, vt ne, dum vritur, vocem doloris indicẽ edat, hominis est humanae condicionis, atque adeo sui

ipſius ignari. C.Marius vir fortis,ingenijq. duri,& aſperi, cum in vtroq. crure varices haberet, praebuit ſe medico ſecandū;nullis tamē vinculis alligari voluit;ac ne gemitu dato,vel emiſſo ſuſpirio, pertulit ſectionē. ſed medico ad alterū crus tranſeūte prohibuit, addito *curationem non eſſe tanto dignā cruciatu.*quare dolorē pertulit inuictus diu;vbi ſuſtinere amplius noluit,ceſsit cum dignitate. Paris tolerantiae, ſed verioris imaginem fortitudinis, dolore tolerando, Carolus Card.praebuit. In ſupplicationibus publicis, cum ſanctum geſtaret clauū,ex ijs vnum, quos in redemptionis hominum inſtrumenta vitae auctor elegit, pedem nudum ad clathrum ferreum, qui e ſubterraneae cellae feneſtra tranſuerſus prominebat, afflixit;atque maioris digiti vnguem adeo labefactauit, vt via tota prolixe mitteret ſanguinem. verum de inceſſu nihil remiſſum, ob ſenſum doloris; quem, par eſt exiſtimare, in ea parte percipi vehementiſsimum. nec dum excideretur vnguis, recrudeſcente quamuis acerbiſsimo dolore, aut corpore, aut voce, aut ſpiritu commotū, teſtatur ille,qui Caroli geſtorum teſtis oculatus copioſo, & eleganti ea ſtylo tranſmiſit ad poſteritatem. Addam adhuc inſigne aliud, ſummi doloris fortiſsime tolerati,exemplum, ex aeuo noſtro; tritum quamuis ore omnium, ac multorū ſtylo proditum. Ioannes Medices,auus, FERDINANDE, tuus, belli fulmen, atque militaris diſciplinae in Italia reſtitutor; cum Germanicas Legiones Lutheriana peſte infectas, ad Vrbis ex-

cidium,

cidium, impuro illo, Superisq. omnibus inuiſo, Georgio Franiſpergo Duce, properantes, minutis proelijs Padi tranſitu prohiberet; ferreo maiore globo, e tormento temere emiſſo, genu ictus eſt; crure pene diſcerpto; quod Medici ſecandum prae ceperunt. nec, dum ſectionem pateretur, vir fortiſsimus ligari, aut amicorum lacertis conſtringi, vlloq. modo detineri uoluit; nulla in grauiſsimo cruciatu emiſſa voce; ac ne ſupercilijs quidem adductis. quin, expleta carnificina, animo atque corpore inuictus adoleſcens (annum autem agebat ſeptimum, & vigeſimum) ſumma tranquillitate abſciſſum crus inſpexit, manuq. tractauit, funeris ſui ſpectator interritus. quantum vero pertulerit doloris, vel inde liquet; quod paulo poſt extinctus, & elatus eſt; communi Vrbis malo; quae ſpem omnem a Barbaris tuendi ſui cũ illo amiſit. admiranda prorſus haec ſunt ſummae tolerantiæ, animiq. magnitudinis exempla; ſed ab omnibus haud exigenda. lapidis enim eſt non ſentire dolorem; ſignificare, hominis; ferre & occultare, non niſi fortiſsimi, tolerantiſsimique.

DE MISERICORDIA, SIVE MISERATIONE.

CAP. VNICVM.

Quid ſit; quae eius cauſsae; qui effectus.

NOBILIS & laudatiſsima affectio, clementiae proxima, plena amoris, & pietatis; principibus in primis cõmendata; cuius immenſum pelagus eſſe apud Deum ſcribit D. Ioan. Chriſoſtomus; cui cedere ſponte ſua omnes virtutes teſtatur Caſsiodorus; qua ſublata, magnis incommodis humana ſors affligetur. quid enim homini ſua pte natura infirmo, & ob naturae labem ad delinquendum prono fiat, ſi erratum illico ſequatur vltio? Lex fuit Perſarum humaniſsima, & hominum fragilitati maxime commoda; vt Herod. l. 1. Diodorus l. 1. c. 15. teſtantur, ne conuictus criminis poena ſtatim plecteretur ſecundum leges; verum in anteactam vitam diligẽter inquireretur; & ſi benefactis turpiter admiſſa ſuperarentur, abſolueretur; ſin minus, damnaretur. aurea lex, & principibus continuo habenda ſub oculis; vbi de viris agitur puniendis, virtute aliqua, vel merito ſuperioris vitae praeſtantibus; quam e ſinu natam

miſeri-

misericordiae dixerim; quod graue videretur, ob vnicam noxam, poena legis plecti eum, qui ob multa egregie facta fuisset pridem munere afficiẽdus. qua in re non possum ferre Stoicorum, ac in primis Epicteti sententiam; cuius illa sunt. *Cum eiulantem quempiam videris, caue ne te visum illud moueat, vt existimes, versari eum in malis ob externa; sed apud te distinguito. istum affligit non casus ille, (alium enim non affligit,) sed concepta de eo opinio; ac oratione quidem tua eius perturbationi subseruire ne dubita; atque adeo, si res ita tulerit, congemiscere. cauebis autem, ne intrinsecus etiam congemiscas.* quae verba ab incredibili quadam asperitate morum prodeunt; cui, ne flagrent odio humani generis, inducunt simulationem, quasi tegumentum. At vero, cum doloris sensum ad calamitates alienas tollũt, hominem homine exuunt, & caritatem ab orbe exterminant. Sed iam quid Misericordia sit, declaremus. Eam Aristot. definit *aegritudinem animi susceptam ab opinione mali, quod interitum doloremue afferat ei, qui sit illa fortuna indignus.* hinc habeto oriri eam magis erga viros probos; quod & 10. de leg. Plato sentit. at vbi quem pati merito iudicamus, haud miseremur illius; nisi forte miseratio subeat humanae condicionis; quod fieri posse, ac debere, declarauit Aristoteles; cum repraehensus, quod homini nequam mendicanti stipem dedisset; respondit, hominem se commiseratum esse, non mores. Excitatur vero facilius in ijs, qui opinantur ea mala sibi suisq. contingere

posse,

poſſe, vel ſunt aliquando experti; vt Dido apud Virgilium.

Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.

felices vero, & qui ſe tutos cenſent a ui, non facile hoc affectu permouentur, quia non timent mala, Tacit. de exercitu in calamitate conſtituto. *Deceſſerat certamen virtutis, & ambitio gloriae, felicium hominũ affectus; ſola miſericordia valebat.* Et Curtius. *Suam quiſque fortunam in conſilio habet, cum de aliena deliberat, & niſi mutuo ſimus miſeri, alius alij erit faſtidio.* Inde Principes in ciues, diuites in egenos exiſtunt duriores. ſibi enim ſuisq. nimis fidũt. Eodem vitio contumelioſi, & calore durante, iracundi laborant. neque enim cogitant ſibi quid mali futurum. quin iracundia, in vltionem propera opprimit mentem; ideo miſericordiam excludit. Aeneas Turni, vitam orantis, precibus flecti, coeperat; ſed viſo Pallantis baltheo, accenditur ira; nec vltra ſupplicis orationem admittit.

ſtetit acer in armis
Aeneas, voluens oculos, dextramq. repreſſit:
Et iam iamq. magis cunctantem flectere ſermo
Coeperat, infelix humero cum apparuit alto
Baltheus; & notis fulſerunt cingula bullis
Pallantis pueri; victum quem vulnere Turnus
Strauerat; atque humeris inimicum inſigne gerebat.
Ille oculis poſtquam ſaeui monumenta doloris,
Exuuiasq. hauſit; furijs accenſus, & ira
Terribilis Tu ne hinc ſpolijs indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas

Immolat

Immolat; & poenam scelerato ex sanguine sumit. His affines existunt, qui omnes homines putant malos esse. Timon ergo nullius calamitate flectetur; ne si Graeciam quidem flammis intueatur absumptam. malus enim iure punitur; ille vero censebat omnes malos. Sed nec in extrema positos calamitate miseratio tangit; quod omnia se mala pati cogitent, vt nihil ultra deterius aduenire queat; praemunturq. proprijs aerumnis adeo ut spatium non habeant se conuertendi ad alienas. talis Hecuba fingitur a Poetis in canem versa; animal saeuum & implacabile. idem faciunt magno pauore consternati; quod de propria tantum salute cogitent: nec alieni eos mali cura teneat. Cicero 3. Tuschul. *Constabat eos, qui concidentem Cn. Pompeium vulneribus vidißent, cum in illo ipso acerbißimo miserrimoq. spectaculo sibi timerent; quod se claße hostium circumfusos viderent, nihil tum aliud egiße, nisi vt remiges hortarentur, & vt salutem adipiscerentur fuga. posteaquam Tyrum peruenißent, tum afflictari, lamentariq. coepiße.* addo consternatione nimia obstupefieri mentes, vt nec de se aliquando cogitent; ne dum doleant de malis aliorum. igitur qui ducuntur ad supplicium, & ceruicem carnifici porrexere abscindendam, nullis vel acerbissimis calamitatibus alienis mouebuntur ad miserationem; tum quod ipsi in pari, vel deteriore forte statu constituti sunt; tum quod atrocitate mali praesentis opprimuntur. atrox vero & horribile pellunt, & exturbant miseratioē.

Ad misericordiam cōtra faciles imbecilli sunt; & qui natura timidiores; quod se iniuriae sentiunt expositos; tum periti rerum humanarum; a doctrina exculti; miti ingenio praediti; sed ita, vt modum statuant miserationi. Hoc itaque affectu commouemur erga calamitosos; & in eos praecipue, quibus nullum vmquam bonum contigit; vel habitum, prodesse non potuit; vt praematuro funere subreptis; vel quos res secundae offendunt in statu, quo fructum iam nullum ex ijs percipere possunt. Antigone apud Sophoclem duplici nomine impellit ad miserationem; & quod puellae iniqua acerbaq. mors indicitur; & quod rescisso per Creontem, in filij gratiam, truci decreto, exanimis reperitur. quod porro drama cum aliquando legerem; ad acerbissimum casum lachrymas non continui. Augetur misericordia, si mala, velut atrocia representententur; addanturq. formae, voces, vestitus, actiones; efficiunt enim vt malum sit sub oculis; praesentia vero rerum acerbarum operatur magis ad miserationem. M. Antonius tunicam C. Caesaris cruentam ostendit populo; quo aspectu in misericordiam primo, post in furorem versus, arma confestim coepit in eos, quorum facinus probasse antea visus fuerat. sed vestis occisi Tyranni, quiritum obiecta oculis, miserationem exciuit, & iram. T. Labienus, cum accusaret Rabirium, Saturnini pridem interfecti protulit imaginem ad ciendam miserationem. M. Antonius orator, cum Aquilium defenderet, eum in iudicium

produxit;

produxit; & caussam peroraturus, rei tunicam diloricauit, ac iudicibus cicatrices aduersas senis imperatoris ostendit. Eandem vim orationes obtinent, ab ijs, qui casus atroces pertulerunt, in calamitate habitae, si postea recitentur. concipimus enim mente morituri hominis habitum; quo fieri vix potest, ne flectatur animus. mouet igitur magnopere ad miseratione moriturae Didonis oratio.

Dulces exuuiae, dum fata Deusq. sinebant,
Accipite hanc animam; meq. his exoluite curis.

cuius lectioni illachrymatum se D.Augustinus fatetur. Sed cur, cum aliena nos mala moueant, nostra idem non praestent, nec nostri nos miseratio facile capiat, iure quaeri potest. quod inde fieri arbitror, quia propriae calamitates sunt nobis nimis familiares; ad misericordiam vero excitandam nouitas & insolentia malorum requiritur; ea si producantur, callum obducimus animo. quapropter in pestilentia, vel clade, vel longo malo cessat miseratio. addo, calamitates proprias habere quid maius atque terribilius, quam vt, intra fines miserationis contineri nos, sinant. atrox autem differt a miserabili, quod habet vim eiiciendi misericordiã; & saepe valet in contrarium. docet id Aristoteles, 2.Rhet.cap.8.subscribitq. in Rosciana M. Cicero; vbi de crudelitate ait; *Non modo id habet in se mali quod tot ciues atrocissime sustulit, verum etiam hominibus lenissimis ademit misericordiam, consuetudine incommodorum. nam cum omnibus horis aliquid atrociter fieri videmus, aut audimus, etiam qui natura mitissimi*

ſumus, aſſiduitate moleſtiarum ſenſum omnem humanitatis ex animis amittimus.

Nimia tamen miſericordia cohibenda eſt. laedit enim iuſtitiam. Remedium vnicum affero; Non commoueri vehementius eorum aſpectu, qui tolerant mala; cum plerumque non ſint ea vere mala, quae patiuntur; & interdum conferāt ad ſalutem, tum publicam, tum eius qui plectitur.

Praeerat Mediolano Inſubriaeq. omni Carolus Aragonius Terraenouae Dux, Siculus, vir artibus imperandi, regioq. ſanguine, aeque inſignis. is cū aliquando equitatum ad tutelam totius ditionis perpetuo habitum, recenſeret, oblato equo admodum ſtrigoſo, maleq. tractato, acriter equitem obiurgauit, quod equeſtria munia, magno cum dedecore, prauoq. in ceteros exemplo, ob ſordes, vel incuriam deſereret; quibus ille minaci vultu, voce
„ altius elata reſpondit; Culpam penes Quaeſtores
„ eſſe Regios, qui ſtipendia militum inuerterent, vel
„ callidis cunctationibus morarentur. intollerādum
„ porro, nec ſine graui quaerela praetereundum; in
„ hoſce peculatores vtendum cenſura potius, quam
„ ſtabula militum curioſe inſpicienda, nitidos ne, an
„ macilentos habeant equos. Haec, exercitu coram, ore minaci pronunciata, deterrimi exempli, quaſi ſpectarent ſeditionem, viſa; quae ne ſerperent latius, procacem hominem Aragonius ex diſciplina militari extremo ſupplicio addicit. nec ſuſpitio ſuberat iniquitatis iudicij; etſi de ſeueritate conueniret; quam nec dum inter arma, verum etiam in to

ga, vbi feditio incefsit, vel incommodi grauis alicuius metus ingruit, retinendam, exercendãque, regnandi ratio fuadet. *Omne enim magnum exemplũ habet aliquid ab atroci; quod contra fingulos publica vtilitate rependitur* Miles interim ducitur ad necẽ; ipfomet, qui damnarat, aegreferente, quod in hominem, non vltra verba progreffum, poena capitali animaduertere, pro caftrenfi vfu, cogeretur; optanteq. interpellari fe a viro aliquo primario, quo hominis fupplicio eximendi, honefta daretur occafio. Hanc humanifsimi principis moderationem cum eius ipfius filij, adolefcentes auita condicione digni, intelligerent; Carolum Cardinalem adeunt; orant enixe, opem ferat homini, hanc lucẽ, ni fuccurratur, confeftim relicturo: pro mifero verba faciat apud parentem; quem pollicẽtur, quicquid a facro, quem magnopere coleret, Antiftite peteretur, facile cõceffurum. re intellecta non cunctatur Cardinalis; nec dignitatis veretur imminutionem, fi cum repulfae periculo, Ducem conueniat; adit praetorium, deprecatur culpam militis;
» Oftendit, non labefactari leges, nec folui neruos
» militaris difciplinae, fi feueritas mifericordia tem-
» peretur; fi funeftum refcindatur decretum, vita ei
» condonata, qui nõ nifi vbi fummo iure fit agendũ,
» nouifsima foret exempla meritus. dãnatione legi-
» bus factum fatis; at fuum remanere clementiae lo
» cum quippe militẽ dolore potius victũ, quod, fti-
» pendijs dilatis, vxorem, liberosq. alere non poffet,
» peccaffe, quam prauo cõfilio, vel animo cõtumaci.

Factum, vti optabat vterque. ac miles ad vxoris natorumq. complexum remissus. Hanc nobis historiam cum Caroli Cardinalis necessarij retulere; tum confirmauit Simeon Aragonius Cardinalis de Terranoua ipsius Caroli Aragonij filius; magni parentis proles generosa; vir omni egregia laude, maxime vero difficili illa coniunctione grauitatis cum humanitate prae caeteris, quos norim, spectabilis; quem a summa moderatione animi poteram huius hypotesim statuere commentarij; ni viuentem laudasse prolixius, assentationi haberetur affine. Ceterum hoc facto, vti, citra labem iustitiae, seueritati misericordia sit adiungenda, non incommode docemur.

DE INVIDIA,

CAP. VNICVM.

Quid ea ſit ; quae eius materia ; Quibus innaſcatur ; quae remedia.

INVIDENTIAM nouo nomine Cicero dixit;vt vocabuli fugeret ambiguitatem . inuidia enim, tam eorum eſt,qui inuident, quam quibus inuidetur;ac ſaepe pro odio accipitur, de quarum nihilominus differētia luculentum Plutarchus edidit commētarium. Definitur autem a Speuſippo inuidentia, *triſtitia ex amicorum bonis*.commodius ex Ariſtotelis dictis definies,eſſe conceptam aegritudinem ex eo quod alij,nulla re meliori,bene ſit; idq.non propter commodum inuidētis; at quia aegrae ferat illum eiuſmodi bono frui. Nō deſunt qui dolorē de bono alterius eam eſſe dicant, quod exiſtimatur noſtrum malū,vel a nobis eſt ſaltim concupitum.quam nihilominus finitionem priore ſui parte triſtitię, poſteriore vero aemulationi magis quadrare cenſeo. Inuidus autem , etſi pari dolore ſuas iniurias , & aliena commoda metitur, in eo tamen, quod malum ſibi illatum moleſte fert, oſor dicendus eſt , non inuidus.

Huius affectionis ab odio differentias non paucas attulimus antea, cum sermo nobis de odio esset. Satis hic addidisse fuerit; posse nos iuste odisse; non posse sine culpa inuidere; vt notauit Plutar. Mouetur vero inuidia inter pares maxime; nam vt, ait Hesiodus.

Et figulus figulo, & fabro faber inuidet.

Aliquando etiam inuidemus inferioribus; raro superioribus. fortunati, & qui magna gerunt, saepe inuidēt; quia quod alijs tribuitur, sibi ademptū putant; vt Arist. docet. nec aliter Lucanus de Pōpeio.

stimulos dedit aemula virtus;
Tu noua ne veteres obscurent acta triumphos,
Magne, times; te iam series vsusq. laborum
Erigit, impatiensq. loci fortuna secundi.
Nec quemquam iam ferre potest Caesarue priorem,
Pompeiusue parem.

Sed nimia potentia subnixi non inuident. cuius enim inuidia tangatur Alexander? contra vero spe omni, & auxilio destituti; quiq. desperarunt de rebus suis, eidem tabi aditū clausisse existimātur. Sunt quoque ad inuidendum procliues, qui angustum, pusillumq. trahunt animum; quod illis omnia appareant magna; inuidia vero ad magna fertur. de quibus Ouidius,

Fertilior seges alienis est semper in agris;
Vicinumq. pecus grandius vber habet.

Inuidentiae campus ijs clauditur bonis, quae laudem, honorem, commodum ferunt.

Nemo vero inuidet alteri, quod sit Deo amicus;

id

idenim improbi non magni faciunt. boni, etsi magnopere curant, non inuident; quod eadem ipsi amicitia florent; nec proborum hominum viscera intrat inuidentiae lues.

Inuidemus autem viuentibus, non vita functis, quia non fruuntur bonis, quorum inuidia premimur; tum vicinis, & notis; non degentibus trans columnas Herculis; absentium quippe ac longissime positorum felicitas, nec praesens est, nec liuentes oculos flagellat. Magnitudini demum virtutis cedit inuidia; nec ijs inuidemus, a quibus nostro, communiq. iudicio longe superamur. Eleganter ait Plutarchus, inuidiam fugari splendore virtutis, vti sol, cum altissimus fertur, umbram omnem diiicit. Nemo enim inuideat Cyro, vel Alexandro; quod positi videantur extra metam, ad quam mortalibus progredi licet. Ex dictis colligo, inuidentiam esse vilium, abiectorum, corruptorumq. hominum; ac suscipi, excitariq. maxime in bonos. est viliũ; quia si rerũ ipsi magnarum capaces essent, non mirarentur aliena; est corruptorum; nã, vt ait Plutar. lib. de exilio. *Natura illa deprauata est, quę non tam bonis proprijs oblectatur, quam angitur alienis*; & Platonis, in Dialogo, An virtutẽ homo doceri possit, suffragatur dictum; *inuidet vir nullus bonus alteri*. Est in bonos maxime, quia illi bonis abũdãt, quae commouent inuidẽtiam. egregie Plutarchus ait; *Vt Cantharides laetioribus agris innascuntur; sic inuidentiam eos praecipue tangit, qui boni sunt.*

Remedia bipertito afferemus. cauendum enim

ne

ne inuideamus; neue inuideamur. alterum ad mores pertinet, alterum ad quietem, & incolumitatē. alterum inuidēti obest; alterum ei, cui inuidetur. ideo hanc omnium perturbationum aequissimam iniquissimāq. in oratione de Cathedra dixit D. Gregorius Nazianzenus. hoc, quod dominos exedit, & consumit; illud, quia bonis est omnibus infesta. dira malignaq lues, quae dolose adeo pectoribus humauis illaberis, vt prius omnia occupes, quam sentiatur tui aduentus. daemon vernaculus, atque familiaris, qui admitteris facile; nec nisi magno labore eiiceris. interim vero circa foedissima quaeq. volutaris; nam de te illa;

uidet intus edentem
Vipereas carnes; vitiorum alimenta suorum.

Phalaris censuit nullum inuidia supplicium maius dari posse; quod ille forte significauit, qui scripsit,

Inuidia siculi non inuenere Tyranni Maius tormentū.

Antisthenes eam comparauit rubigini; consumit enim eos, quibus inest, vt rubigo ferrū. S. Basilius viperae similem facit; quae in ipso partu emoritur. Ego vero inuidorum cōdicionem, quam viperarū, deteriorem esse dixerim. vere enim, vt experientia compertum est, viperae sunt partui superstites; cū nihilominus inuidi a foetu & partu corrodantur, & conficiantur. idem Basilius hos comparat statuis cereis, quae liquefiunt ad praesentiam solis, quo aliae gaudent, & ornantur. silent enim; & quiescūt inuidi, dum nemo se magnum praefert, vel effert; sed virtutis affulgēte splendore, d. scruciātur, quan

do

do alij conspectu clarissimi luminis magnopere gaudent. Sed & muscis ipse idem pares facit, quae vlceribus gaudent; tum vulturibus, qui florida, & amoena praetereunt loca; consistunt in foetidis; tũ malignis pictoribus, qui hominem membro laesũ quaerunt ea nota reddere coloribus in tabula nota biliorem; vt magno gibbo, vel enormi naso. inuidi quippe omissis virtutibus, solis incubãt vitijs aliorum; eaq. in mente ac ore habent. Agis primus, Rex Spartae, dixit, inuidi duplicem esse poenam; angitur enim proprijs malis; & cruciatur commodis alienis. quare Publius, cum Mutium hominem maleuolum inuidumq. vidisset solito tristiorẽ, aut Mutio, inquit, aliquid aduenit mali; aut alteri cuipiam aliquid boni. deniq. Menander huius pestis infelicem ostendit condicionem, illis verbis

Inuidus est sibimetipsi hostis.

Cũ igitur adeo ea turpis existat, & habenti perniciosa, vti a pectoribus humanis arcenda sit, accurate tradendum. Epictetus amuletũ inuidiae paucis confecit. *Qui omnia bona a se ipso petit, nec inuidia ducitur; nec aemulatione*. ille autem ita se gerit; qui ea tantum censet esse bona, quae ornant animum; ac in eorum adeptionem operam confert, & laborem.

Quae vero ab alijs imminet inuidia vitabitur, si qui rebus vtitur secũdis, comem se praebeat, ac moderatum; nec agat vltra ciuilem modum. raro enim inuidetur eorum honoribus, quos modestos experimur; quorumq. vim non timemus. cõtra ve

ro extraordinaria in ijs reformidamus, qui ea suò arbitrio, vel deposituri, vel retenturi videntur; *&* *modum*, vt Velleius ait, *habent in voluntate*. Nec omnit tat commoda, quibus abundat, alijs impertire. Sapienter enim orator Aristides dixit, allectione externorum in ciues factum, vt inuidia Romanū vacaret Imperium, cuius omnes essent quodāmodo participes. Cato monebat *inuidiam euitari moderatò, sobrioq. rerum secundarum vsu, quod non nobis, at bonis, quae nos circumstant, homines inuidean'*. externa bona extra hominem sunt; sed insolenter vtendi vitium intra hominem. Tacitus Agricolam socerum suum scribit, virtute in exequendo, verecū dia in praedicando, quae fecisset, extra inuidiam, nec extra gloriam fuisse. Ceterum eiusmodi modestia nos ab ea labe tutos vndique non reddit, cui nihil est sanctum, nihil inaccessum. at nòn ideo cōcidendum animo, ea potissimū cogitatione; quod, qui in inuidia positi sunt, vel virtute pollent, vel felici rerum successu vehūtur. Themistocles aliquando doluit, quod *in nullius esset inuidia*. Thucidides eam appellauit *necessariam potentiae comitem*. Pittacus tamdiu se fortunatum credidit, quādiu sibi inuideretur; comitatur enim illa incedētibus per gloriae semitam, vt vmbra ijs, qui per solem faciunt iter. Pindarus in Nemeis, & Pythijs, eandem miseratione optabiliorem, ac semper inuadere viros fortes & praestantes, cum deterioribus non certare, cecinit monet demum Euripides, vt *Quisquis cupit inuideri, clarus esse studeat, & insignis*.

Ceterum,

Ceterum, quia plerumque ista pestis virtutē euertit; ijs qui gloriam in Repub. sectantur, vel in Principum aulis honores, & commoda quaerunt, & venantur, enitendum; vt quam celerrime, nō per tarda modicaue incrementa, ad summū gloriae perueniant; ne, dum moras trahunt, opportunitatem praebeant inuidis euertendi sui. docuit enim Aristoteles apud Plutarchum, *nec igne fumum, nec inuidiam gloria gigni, si subito effulgeant.* ijs, qui paulatim crescunt, alios aliunde manus inijcere; quod si incitatissime ferantur ad metam, non tangi liuore; vt aquis accidit, quae, dum cursu concitae, labuntur, minus accipiunt ab externa impressione. Sed cum imperentur haec facile; non nisi labore sūmo obtinentur. vtq. tandem ad culmen gloriae vētum fuerit, non est tuta virtus a liuore; ne subruta per cuniculos, deiiciatur. saeuit mire pestis immanissima in aulis, in Rebuspub. grassaturq. more truculentissimae ferae; nec celsa fastigia scandere formidat. Haec cicutam Socrati porrexit; Themistoclem, Graeciae seruatorem, e Graecia eiecit; Aristidem, integritatis laude celebrem, auito solo exturbauit; Milciadē in carcere mori coegit; Phocionem e medio sustulit; Scipionem exulem fecit; Haec Graecorum Romanorūq. Imperium euertit.

DE VERECVNDIA, SEV PVDORE.

CAP. VNICVM.

Quae illius caußae; qui effectus; & in quibus laudetur.

NATVRAE indolem, atque morum ingenuitatem in adoleſcente pudor maxime commendat; quem Ariſtoteles definit, *aegritudinem animi in malis, quae dedecus nobis noſtrisq. afferre videntur; cum aut ſunt, aut fuerunt; aut futura ſunt.* Inuerecúdiam vero, ſeu impudentiam, pudori oppoſitam, ait, eſſe *animi ſecuritatem in iiſdem malis*; vnde deduxerim, pudorem eſſe metui complicatum, cum eius oppoſitum inuoluat ſecuritatem. quare affectio iſta ex triſtitia, & timore conſtituitur; definiturq. ab alijs, timor mali ignominiam inferentis. Ariſtoteles quoque Prob. 53. ſect. 11. pudorem metuẽdi genere contineri voluit. quod ſi pudor ſpecies eſt timoris, porro fit, vt omnis pudor ſit metus, non contra. pudor enim eſt rerum turpium; metus rerum etiam non turpium.

Verecundiae cauſſa eſt turpe, inferens ignominiam, Neque vero eadem omnibus turpia videntur. ſaepe beneficium accipere magnanimi ducũt indecorum, & indicium inertis animi; alij contra,

i ngenui

ingenui esse hominis, cui multum debeas, eidem plurimum velle debere. Non vlcisci acceptas iniurias vituperatione dignū cēset Aristoteles 2. Rhet. cap. 6. quod in vniuersum a vero alienum ostendimus, cum de honore publice disputaremus. Multi ob defectum corporis non sua culpa contractum erubescunt; contra vero Agesilaum claudicationis, Philopoemenem deformitatis corporis nō puduit. Quid de natalium defectu, de paupertate, de sanguine coniunctorum improbitate dicam, & obscuritate generis? certe ad summam gloriā, nec Themistocli natales illegitimi, nec Curio Fabritioq. egestas, nec Agidi vxor impudica, nec obscuri maiores Iphicrati, Marioq. obfuerunt; quod, quantū in ipsis fuit, ne illa essent, curarunt. Sapienter Plutarchus ait, lib. de audien. Poetis; eos, qui fortunae, aut natalium damna exprobrant, incassum exteriora verberare; animum non tangere; vt qui flagellant vestes, nullas corpori plagas inferunt.

Augetur verecundia, si dedecus contingat publice, in oculis multorum. veremur enim cōspectū multitudinis; quasi plures habituri ignominiae testes. Cydias, vt dehortaretur Athenienses ab Samiorum agrorum diuisione, dixit, debere eos reputare, cunctos Graecos illius plebisciti lationi interfuturos; nec solū audituros; sed inspecturos oculis.

Sedem vero pudor in oculis habet maxime. vnde adagium, *in oculis pudor*. inde noctem pudore vacare, dixit Ouidius; quia per tenebras ille non excitatur.

Effectus

Effectus verecundiæ est erubescentia; natura enim quasi egreditur ad velandam faciem verecundantis;vel ad turpe repellendum. id obtinetur sanguine per faciem, quasi tenui, purpureoq. velo diffuso; quo argumento Domitianum a rubore se contra pudorem munire solitum retulit Tacitus in Agricola;

Obseruatũ aliquando est; pudore affectos reddere vocem grauiorem; timore autem correptos acutiorem. caussam quaerit Aristoteles eodẽ Proble. 53. redditq. hanc potissimum. in pudore calor ad pectus ascendit, & vltra; vnde dilatatis instrumentis vocis, & maiore copia moto aere, grauior vox redditur;contra in metu partem superiorem calor deserit; constrictaq. aspera arteria,& exilis commotus aër vocem gignunt acutam.

Pueri cum vsu rationis pudorem ediscunt; ante non magis agnoscunt, quam belluae. laudatur in adolescentibus;quia,cum ex perturbatione viuãt, verecundia prohibentur a peccando; intendit etiã vires, incitatq. ad virtutem; [Virgil.

Tum pudor incendit vires, & conscia virtus.

adultos non dedecet, cum laudantur; suboritur enim eis suspitio, ne videantur arrogantes,patulis auribus demittendo laudes proprias in animum. in senibus non admodum probatur, quod nihil eos agere oporteat, cuius sit poenitendum: semper autem verecundiae comitatur poenitẽtia. quare ait Homerus,viri boni non immutari colorẽ.longe ab hac sententia est Alexander Aphrodisiensis,

qui

qui pudorem in virtutibus numerat, eumq. refert in se ipso experiri se solitum, etsi esset admodum senex. verum aliquid imminutum, imperfectum, inferius virtute eo contineri non est inficiandum. Magis igitur communis sententia placet; pudorem aliquid inuoluere, quod virtuti detrahat. praeclarū est Cyri dictum apud Xenophontem; temperantes atque pudentes distingui; quod illi, etiam in obscuro, fugiunt, quae turpitudinis habent speciem; hi vero solum in propatulo. Sed Euripides adhuc in Hyppol. ne dum pudorem vnum agnoscit, qui perpetuo sit cum virtute coniunctus, verum alium quoque constituit vitiosum, atque perniciosum; additq. si tempus hoc vel illo vtēdi certum, apertūq. foret, mortales non commissuros fuisse, vt vtrūque notarent iisdem litteris.

Nihilominus magno nobis vsui pudor existit. datus enim est quasi stimulus, & paedagogus ad mala vitanda; eoq. amisso, sceleribus omnibus aditus aperitur. Plato in Protagora; *Pudoris qui particeps non est, vti ciuitatis calamitas e medio tollatur.* In muliere nihil magis laudatur; etsi corpore quaestum faciat. Plautus in Poenulo ait, decere quoque meretrices, pudorem magis gerere, quam aurum, aut purpuram. Sed caute retinendus; *semel enim amissus, redire nescit*, vt ait Seneca in Agamemnone. irreuocabilem Flaccus appellat in Argonautica.

& non reuocabilis vmquam
Cessit ab ore pudor, propior impleuit Erymnis

K cffron-

effrontes igitur deplorati. vere Plautus. *illum periiße puto, cui periit pudor*. At vero excessus cauendus; aliquando enim adegit ad mortem. Scribit Plinius lib.7. Diodorum Cronũ, Dialecticae professorem, pudore victum expirasse, quod lusoriam quaestionem, ad Stilbonis interrogationem, protinus non dissoluisset. Ingenui pudoris imago Architas Tarentinus fuit; qui, Aeliano in historia miscella referente, cum aliquid obsceni foret necessario proferendum, silentio praeteriens, potius describebat in pariete. Carolus Card. si quando inhonesta aliorũ facta Venereaq. audire cogeretur, erubescebat. si responsum esset dandum, fugiebat verba, quae vel leuissimam castis auribus praeberent offensionem. Adolescens canendo se oblectabat cum amicis. si amatoria verba ex scripto proferenda fuissent; implicabat, inuoluebat, confundebat; vt concentum retinere contentus, verba non exprimeret; adeo etiam in paruis pudentem se ostendere magnifecit.

DE INDIGNATIONE.

CAP. VNICVM.

Describuntur caußae, & effectus indignationis.

HANC Nemesin Graeci dixere, finxereq. Deã, quae elatos, & arrogãtes vlcisceretur. Est autem indignatio, dolor de prosperitate illius, qui ea sit indignus ex Arist.li.2. Rhet.

haec

haec eadē media inter inuidentiā,& peruersam letitiam statuitur in 2.lib ad Nicomachū;inuoluitq. iram; vti ex duobus affectibus mista. Ceterum bonae indolis affectio censetur, perinde ac misericordia. iniustum enim est,quod accidit praeter dignitatem; si ea solum expendantur, quae apparent. ideo Aristoteles opinatur, iure nos indignari ijs, qui praeter merita sunt fortunati; & motum hunc animi laudabilē ex eo asserit, quod tribuitur Dijs. Sed cauendum, ne nimio impetu ad inuidentiam prouoluamur, cui excessu est indignatio vicina. differunt vero, quod inuidia non fertur in hominē bono indignum; paritq. laetitiam ex vexatione proborum hominum;at Nemesis indignis succenset,nec voluptatem capit ex malis bonorum. conueniūt nihilominus,quod & qui inuidet,& qui indignantur id faciunt, non quod aliquo posfint inde affici detrimento;(iā enim metuerent) sed quia bonum illi euenit,cui nolunt. Caussas indignationis fortunae bona ponimus vt diuitias,& honores. ob virtutē alterius ea non oritur;vti nec a vitio nascitur miseratio. naturae quoque dotes,decor,nobilitas non excitant hanc perturbationem; quare antiqua, vti quae parum a natura distant, minus cient indignationis.nouae autem opes & dignitates multum ad eam commouendam habent momenti. ideo maiorem dolorem inurunt,qui nuper diuites facti sunt, quam qui diu in amplo patrimonio vixerunt. quod enim semper eodē in statu spectatum est,id aequū iustumq. videtur;censenturq.

antiqui diuites poſsidere ſua; at homines noui res videntur habere alienas. pulchre Tacit. *Inſita mortalibus natura, recentem aliorum felicitatem aegris oculis introſpicere; modumq. fortunae a nullis magis exigere, quam quos in aequo videre.*

Nec a viris probis abſtinet indignatio, vbi bonum ſibi minus cõueniens fuerint aſſequuti; quod eo cenſentur indigni; vt ſi obſcuro loco nati quantumuis probi, claris nuptiarum affinitatibus augeantur. Aiax indignatus eſt Achillis arma Vlyxi dari; homini prudentia quidem celebri; at non magnopere forti; arma enim ſunt organa fortitudinis, quam prudentiae, magis.

Mouentur ad indignationem, qui ſunt maximis digni bonis, (poſsideant illa, nec ne) cum nihilominus indignos ijs potiri vident; probi quoque ac ſtudioſi eiuſmodi commotioni ſubduntur; nam vere iudicant, & odio habent iniuſta; tum qui honores quaerunt, praeſertim vbi ignauis conferri vident; & qui praeclara de ſe ipſis iudicia faciunt, de alijs humiliter exiſtimant. ergo ſeruili abiectoq. homines ingenio non commouentur, quod nihil ſit, quo ſe dignos exiſtiment. Achillis crebrae ſunt apud Homerum indignationes, & expoſtulationes; adoleſcens enim vehementiſsimi ſpiritus, innataeq. conſcius virtutis, ad ſublimes quoque honores toto pectore ferebatur. Sed cauendum ne, dum indignatione duci nos, putamus, ad inuidiã, ac iudicij temeritatem feramur. neque enim ſenſus hominis ad aeternorum profunditates conſi-

liorum attingere queunt; nec ij ſumus, qui diuinam liberalitatem ad iuſtitiae trutinam expendere velle audeamus. Diſpenſatori ſummo agendum arbitratu ſuo; nec eius conſilia in diſquiſitionem ab humana mente vocanda.

DE AEMVLATIONE.

CAP. VNICVM.

Quid ea ſit; & inter quos maxime excitetur.

AEMVLATIO, ζῆλος graece, eſt aegritudo de bono alterius, non ex eo accepta, quod ille bono fruatur; ſed quia ipſe caret. quapropter aemulatio eſt in viris bonis; inuidia in malis. Cicero ſcribit in Bruto, aemulationem, non inuidiam inter ſe & Hortenſium exſtitiſſe; cum quo certare eſſet glorioſius, quam non habere aduerſarium. Aemulatur vero qui ſe illis bonis dignum exiſtimat, & intelligit ſe poſſe potiri. quare adoleſcentes, magnanimi, diuites, gratioſi ſolent aemulari; maxime vero, quorum patria, & maiores in praecio fuere; nã ea iam propria bona cenſent; ijsq. ſe dignos putant. Romanus igitur rei militaris laude inſignes aemulabitur; Atheniẽſis ſapiẽtes; Spartanus tolerãtes; Carthaginiẽſis rei maritimę peritos.

Naſcitur vero inter cõdicione ſimiles, vt 2. Rhet. c. 2. Ariſt. docet. Plutar. quoque in Politicis ait natura cõparatũ eſſe, vt inter eos aemulatio nõ oriatur, qui diuerſa virtute, diuerſis viribus, nõ eodẽ ſtudij genere rei cuipiam dant operam; vt inter Diome-

dem, & Vlyſſem Eſt quoque affectus iſte gignendis inimicitijs foecundiſsimus, ni contineatur intra terminos; quod facilis ab ea ſit ad inuidiã tranſitus. Scribit Plutarchus M.Catonẽ in inuidia quoque amicorum fuiſſe, quod grauarentur ſe non poſſe illius excellentiã imitari. hos aemulos prius fuiſſe crediderim; alias non dicerentur amici; poſt cupiditatis procurſu delapſos ad inuidentiam. Huc ſpectat egregia Periclis in Epitaphio apud Thucididẽ ſententia; *ſolemus aliorũ laudes hactenus aequis accipere auribus, quatenus putamus eas poſſe in nos cadere.* (huc uſque progreditur aemulatio) *quae vero ſupra nos poſita ſunt, ijs cum inuidia fidem detrahimus.* adeo procliue eſt a medio in extremum labi. emicuit id ipſum in Hadriano Principe; quem *inuidere magis quam aemulari ſolitum* Dion ſcripſit. Aemulationi opponitur honoris, atque dignitatis retinendae contẽptus; reipub. admodũ pernicioſus. ſublata enim hac inter bonos a ſtudio laudis contentione, iacet ciuitas; omniaq. profundo torpent veterno; & omnino, vt ait Tacitus, *Contemptu famae contemnuntur virtutes.* & *Ignauis nec in victoria decus, nec in fuga flagitium.*

DE SPE, CONFIDENTIA, & desperatione.

CAP. VNICVM.

Quid eae sint; vti differant; quibus maxime insint; ex quibus existant; quid gignant.

SPEVSIPPVS definit, ſpem eſſe futuri boni exſpectationem. quae definitio, ſi D. Tho. ſequamur, omnino reiicienda eſt; ait enim ille 1.2. q.40. art. 2. ſperare nos ea, quæ noſtris viribus nos cōſequuturos opinamur; exſpectare vero ea, quae omnino pendent ab alijs. Ariſt. 2. Rhet. cap. 5. ait, ſpem eſſe cū imaginatione rerum ſalutariū, quod prope adſint; ac terribilium, quod vel nulla ſint, vel procul. facilius & expeditius eam definieris, appetitionem boni, abſentis, ardui, poſsibilis. Differt a deſiderio; tum quia ſpes eſt in iraſcente, deſideriū in concupiſcente; tū quod haec eſt de bono arduo, difficilisq. adeptionis; illud etiam de bono, quod facile obtinetur; ex quo ſequitur, vt deſiderium feratur in finem impetu ſuo; ſpes vero ad media primum, poſt ad finem; vtrumque vero eſt de re abſente, quae in noſtram poteſtatem venire queat. alias, ni mente ſimus obtenebrata, & ſeducta, ſuccedit deſperatio. at non ſemel ob ſpes reluceſcentes, concupiſcentia rationem ſuperante, appetimus impoſſibilia; circaq. ſomnia vigilantes volutamur; nec, rem aggreſsi, ab incoepto declinare ſuſtinemus. Omnino autem citius emoritur ſpes, quam deſi-

derium. multi enim honores desiderant, quos numquam se censent habituros.

Spei caussa bonum est absens, arduum; possibile. reperitur vero maxime in iuuenibus, vt docet Arist. 2. Rhet. cap. 12. quorum promptitudinis ad sperandum rationes multae possunt adduci.

Prima, quod illi multum habeant reliqui a futuro; parum a praeterito; plus enim iuxta naturae ordinem victuri sunt, quã vixerint. spes vero futurorum est; vt mens præsentiũ; memoria praeteritorũ.

Secunda, quod abundent sanguine, quo fiũt animosiores. spes vero fulcitur animi vigore.

Tertia, quod careant experimento; & cum non admodum crebras tulerint repulsas; nec multos experti fuerint casus aduersos, omnia se facile assequuturos credant.

Quarta, quia non aduertunt pericula, ob calorẽ aetatis, quo citissime aguntur ad ardua quaeq. sine delectu adeũda; cuiusmodi etiam ebrios facit Arist. in Ethicis lib. 3. cap. 8. calent enim, nec aduertunt quid nam periculi aggrediantur, aut laboris. id a vino contigisse Archelao Macedonum Regi, testatur idem in Problematis, Sect. 30. Cõtra, senes non sunt proni, vel faciles ad sperandum, ob vsum rerum, defectum caloris, virium debilitatem.

Est autẽ spes valde necessaria hominũ vitae, iuuatq. mire functiones. quare Plato in Philaebo & 5. de leg. ait, per omnẽ vitã spe plenos esse oportere. Eius aemulator Philo in li. de Abrahã, inquit, eam esse principiũ parãdorũ bonorũ; ideoq. spe carẽtes

non

non homines censeri, sed bestias in humana forma cōstitutas; tū etiā a natura spē quasi ianitricē locatā pro foribus; cū intus ceterę virtutes regię cōdantur, quos adire nemo potest, nisi hāc demeruerit. & merito his ornatur elogiis. pręclaros. n. edit partus.

Et primū quidē gignit voluptatem, qua cessante, humanae functiones deficiūt. quis. n. voluptate semota vllū suscipiat in agēdo laborē? hic igitur praeclarus spei foetus; hominē ad munus, & rē attentū reddere; principiū agendi, & quasi functionū ei pro motorē existere. Amorē quoque illa tuetur; desperatio euertit. omnia demū vitae bona spei debētur; vt a Tibullo proditum versibus elegantisimis.

Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis
Semina; quae magno foenore reddat ager.
Haec laqueo volucres, haec captat arundine pisces,
Cum tenues hamos abdidit ante cibus.
Spes etiam valida solatur compede vinctum;
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.

his ea quadrant Ouidij,

Haec Dea cum fugerent sceleratas numina terras,
In Diis inuisa sola remansit humo.
Haec facit vt, videat cum terras vndiq. nullas
Naufragus, in medijs brachia iactet aquis.
Haec facit vt viuat foßor, atque compede vinctus;
Liberaq. a ferro crura futura putet.

Sed nū spei adiuncta sit certitudo, nō ab re fuerit inquirere. Equidē eū qui sperat, pro certo habere, se posse cōsequi bonū, quod appetit, nōdubito; sed, nū sit cōsequuturus, dubitare illū, pro certo habeo.

spera-

ſperamus enim felicitatem alterius vitae; quam ſimus, nec ne, habituri ignoramus. Sed & ſpei omni timoris aliquid ineſſe, apparet. vbi enim nihil eſt reliquũ ſpei, nihil ibi ſupereſt timoris; vnumq. contrarium, (res mira) plerumque deficit alterius occaſu; vt ignis exſtinguitur humore deficiẽte. qui ſperat, timet; ideo qui ad mortem ducuntur, non metuunt; quod ſpes omnis eos deſtruit; vt 2. Rhet. Ariſtot. docet. qua de re elegans extat apud Senecam Hecatonis dictum, *Deſines timere, ſi ſperare deſieris*. turſum qui timet, ſperat; pendeat enim opus eſt, metuentis animus; quare ſi ſpei, qua ſuſtentabatur, nihil ſuperſit, prorſus in deſperatione iacet. expreſsit id Terentianus adoleſcens. *Vt animus in ſpe atque timore vſque hac attentus fuit; ita poſtquam adempta ſpes eſt, laſsus cura confectus iacet* porro qui timent, quaerũt ſi qua ratione, quod imminet, malum vitare poſsint. ſperant igitur; nam rebus deſperatis, nemo conſultat. immo ſpe ita metus alitur, vt ea adempta, plerumq. tranſeat in audaciã; quod ſaepe in extremum adductis periculum ſaluti fuit. Nihil quippe arduum eſt, quod non ſuaderi poſsit perſuaſis mori; pugnaturq. non in ſpem victoriae, ſed in mortis vltionem. quaerit Seneca, quomodo iſta tam diuerſa pariter ſunt? & ait. *ita eſt, mi Lucili; cum videantur diſſidere coniuncta ſunt; quemadmodum eadem catena & cuſtodiam, & militem copulat; ſic iſta, quae tã diſsimilia ſunt, pariter incedũt.* Confidentia, ſeu fiducia ſpei eſt excurſus; vel praeſumpta certitudo rei ex ſententia euenturae. igitur

qui

qui confidit, non timet. sic Virgil. de Sinone;

se ignotum venientibus vltro
Obtulerat, fidens animi, atque in vtrumque paratus;
Seu versare dolos, seu certe occumbere morti.

Tales esse solent qui nihil aduersi pertulerunt; vel e multis magnisq. periculis euaserunt incolumes; vt Caesar, & Alexander. trita sunt illa; *Caesarē vehis, & fortunam eius*; cum naui duodecim scalmorum conscensa, suadet Gubernatori, vt Apollonia Brundusium soluat; magnis clasſibus obſeſſo pelago a Pompeianis; vento aduerso; Anio amne, quo clausi tenebantur, aestu maris, & occursu fluctuum, asperatos efferatoque; magnis insuper frequentibusq. vorticibus inhibente cursum, & egressum; quas tamen difficultates Caesar fidentiſsimo animo contempsit, superauitque. Alexander cum Persis, numero longe superioribus, pugnaturus ad Granicum, ad suos conuersus ait, *Prandete affatim; postridie hostium commeatu potituri*. Abūdant quoque fiducia sui qui non habent vsum rerum, & malorū; vt Tyrones in castris; qualem Pallanta adolescentem facit Virgilius, Aenea sic eum increpante.

Quo moriture ruis; maioraq. viribus audes?
Fallit te incautum pietas tua;

tum etiam qui multa sunt experti, noruntq. mala non esse adeo magna, vt superari, euitariue nō possint; cuiusmodi exiſtūt Veterani. Domitius ab eximia rerum bellicarum peritia certam adeo habuit victoriae opinionem, vt praelium in crastinum reseruarit, quod adulta dies caedendis tot Asiaticis

non sufficeret; postera quinquaginta hostiũ millia trucidauit. auxiliorũque quoque magnitudo & copia fiduciã indit. Turnus. n. nõ cõmouet copioso Aeneę exercitu, fretus peritia belli, & auxiliaribus copiis;

Haud tamen audaci Turno fiducia cessit,
Littora praerip re, & venientes pellere terra.
Vltro animos tollit dictis, atque increpat vltro.

Nec minus confidentes reddimur opibus, viribus corporis, gratia, meritis. illud mirum; paupertatem, orbitatẽ, senectutem, quae animos deiicere solent, interdum firmare aduersus metum; planeq. reddere fidentes. M. Castrucius Carboni Consuli iactanti, *multos habeo gladios*; respondit, *multos habeo annos*. Cesclius sub triumuiris libere agebat, & loquebatur; *fretus*, aiebat, *orbitate, atque senectute*. audet quoque pauper per loca faciens iter, infesta latronibus. nam

Cantabit vacuus coram latrone viator.

& Lycurgus, *hostium incursus paupertate vitari*, dixit. in opulentos enim predae spes inuitat. Demũ iracundia confidentiam gignit; irascitur enim qui accepit iniuriam, & audet; Deus enim auxilio ijs esse creditur, qui sunt iniuria affecti; qui vero illum sibi sperat propitium, magnopere confidit. Videre hoc est in Priamo sene decrepito, Pyrrhum, belli fulmen, armis lacessere auso ex iracundia, & dolore, ob Politem filium sub oculis interfectum;

Hic Priamus, quamquã in media iam morte tenetur,
Non tamen abstinuit; nec voci iraeq. pepercit.
At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis

Dij,

Dij, si qua est caelo pietas, quae talia curet;
Persoluāt grates dignas, et præmia reddāt. [& infra;
Sic fatus senior, telumq. imbelle sine ictu
Coniecit, rauco quod protinus ære repulsum.

Spei & fiduciae, tum timor opponitur, tum desperatio. haec recessus est animi ab appetitione boni, ex opinione, quod numquam sit eo potiturus, respicitq. primo malum, puta imbecillitatem viriū ad consequendum bonum. arguit quoque animū angustum, & omnino deiectum; gigniturq. maxime a torpore mētis, abiectaq opinione sui, & animi corū, nimioq. impendentiū malorum metu: desperatio nāque timorē sequitur; vt docet D.Tho. 1.2. q.45. art. 2. Desperationis effectus sunt, incuria in rebus agendis; cessatio a praeclaris facinoribus; vita voluptatibus inhonestis mancipata; (nā *desperantes tradiderunt se impudicitiae.*) magnaq. improborū factorū colluuies. Ex euentu autem desperatio gignit audaciā, quæ vt ait Vegetius li. 3. strat ag. *Clausis ex desperatione crescit; & cum spei nihil est, sumit arma formido.* vnde illud, *Spes desperatione quaesita.* cū enim exitus omnes ad euadendū obstructos vidēt, & omnino sibi cēsent moriendum, iacturam illam magno hostiū detrimento compensare studēt. quare, tanquam illico morituri, animo pugnant in mortem obfirmato. quod si res bene vortat, & secundi inspirent flatus; redeunt ad spem salutis. vere Curtius ait, *Ignauiam necessitas acuit et saepe desperatio spei caussa est, magnumq. ad honeste moriendum incitamentū.* contra spes infringit vires ex prauo animi

mi statu. Tacitus. *Propinqua Cremonensium moenia, quanto plus spei ad effugium, minorem ad resistendum animum dabant.* & *Taedium malorum, multo magis spes vitae, plerumque magnos animos infringunt.*

DE TIMORE.

CAP. PRIMVM.

Quid timor sit; quae illius caussae.

HAEC affectio varijs effertur nominibus; dicitur enim timor, metus, formido, pauor, terror. timor est exspectatio futuri mali a vi superiore. metus aliquando confunditur cum timore; aliquando innuit animi demissionem ex malo futuro. formido est metus oriens a formis, laruis, spectris. pauor est perculsio animi. terror est quid maius pauore.

Definitur timor ab Aristot. 2. Rhet. *aegritudo ab oblata specie mali impendentis, quod interitum, vel dolorem afferre possit.* differt a tristitia; quia haec respicit malum praesens; ille futurum. tristitia plus admittit consilij; timor minus. illa perniciosior natura; hic vehementior. illa demum affectio est concupiscentis facultatis; hic irascentis.

Caussa timoris est malum impendens; vt mors vel cruciatus, infamia, bonorum amissio, & omne corrumpens naturam; vel quod detrimentum afferre potest; vt iniustitia vires nacta, ceu Tyrannis; quae maxime horribilis esse solet. virtus contume-

lia

lia affecta; facilis enim vltio ei est. gignit quoque timorem in aliorum fide vitam collocatam habere; quod ea fluxa plerumque appareat; nec res tanti momenti loco adeo lubrico statuenda sit; *nec salus in acie nouaculae*, vt dicitur. multi enim fidē fallunt. Qui etiam iniuriam facere possunt, sunt formidabiles ijs, qui sunt iniuriae expositi; nam a cōtemptu facilis est descensus ad contumeliam, & iniuriam. timentur etiam & qui iniuriam acceperunt, & qui fecerunt; illi, quoniam obseruant perpetuo tempus vlciscendi; suntq. locati in insidijs; hi quoniam, si sunt potentes, cum talionem reformident, noua, & noua subinde ingerunt incommoda; nam *Proprium humani ingenij est, odiße, quem laeseris*; vt scribit Tacitus in Agric. qui de re eadem certant, sunt inuicem metuendi; quod malum alter alteri studeat inferre. Nascitur demum metus ex auersione naturali; ἀντιπάθειαν vocant. sic ouis timet lupum, leo gallum; illa enim ab his concipiuntur vti mala, & euitatu ardua. Quae mala culpae dicuntur, non faciunt timorem; quoniam pro arbitratu hominis admittuntur, vel prohibentur. nihil enim ei magis liberum, quam velle, nolle.

Augetur metus primo si malum imminens difficillime propulsari posse existimetur. Secundo si sit magnum, & graue. Tertio si sit repentinum; tum quia minus loci consilio, & praeparationi relinquit; tum quia repentina apparent maiora, magisq. percellūt. Quarto si sit ignotum; minus enim admittit consilij; id vero apud cordatos videre est,

nam fatui, qui ſunt minus perſpicaces, inde capiũt ſecuritatẽ. vnde fit vt experientes homines minus timeant, quae euitari poſſunt; magis metuãt, quae abigi non poſſunt. inexperti, ſi vecordiam habent adiunctam, non timent; ſi ſint ſui cõpotes, magis timent; de quibus dictũ accipio Thucididis a Luciano laudatum lib. de morib. philoſoph. *Imperitia audaces, res autem excogitata & conſiderata timidos efficit;* ceterum enim peritia animum addit, timorem pellit. Tacitus in Annalibus. *Quadrageſimum id ſtipendium Caecina parendi, aut imperitandi habebat; ſecundarum, ambiguarumq. rerum ſciens; eoq. interritus*. Quinto; ſi malum ſit propinquum; inde fit vt mortem non adeo formidemus, quia longe eam abeſſe volumus, & opinamur. minae vero potentũ metuuntur magis, quod vicina mala deſignent. augetur demum timor ex temperamento. mulieres, frigidi, natura melancholici magis metuũt; calor quippe gignit audaciam; frigus metum; melãcholici vero ab externa cauſſa, ſunt fidentes ob calorẽ adiunctũ, cũ vſtione; qualis Hercules deſcribitur.

A timore ſunt immunes ij, quibus nihil mali contingere poteſt; vt Beati. Sed & qui in malorum extrema apud nos deuenere, nihil ex ijs timent; quod nihil reliquum ſit, quod patiantur; tum qui omnem futuri ſpem abiecere, vt qui ducuntur ad ſupplicium. metus enim non eſt ſine aliqua ſpe; quae nulla ijs ſupereſt. Id eſt in cauſſa, cur multi nefarij viliſsimiq. homines, mortem ſub carnifice fortiter ferre videantur. non eſt ea fortitudo, quae

vna cum ſpe metum excludit.

Dubitari hoc loco poteſt; Si timor eſt de malo; cum Deus, & Principes non ſint mali, quo pacto illos metuimus? Reſpondeo; Deum, & Principes bonos timeri, qua poſſunt infligere malum. quod ſi ab eo cogitationem ſeparemus, vel poenam ab ijs inflictam non apprehendamus vti malam; loco timoris naſcitur reuerentia. eſt enim agnitio ſuperioris cum amore reuerentiae.

CAP. II.

De Effectibus, & Remedijs Timoris.

POST triſtitiam, nulla eſt animi aegritudo pernicioſior timore. obeſt enim corpori, animoq. plus ceteris; plurimaq. inducit ſymptomata. Et primum quidem, contrahit ſanguinem, & ſpiritus ad ima; etiam deſerta vitae arce. refugit enim in timore ſanguis, quantum poteſt, partes externas, vti malo impendenti viciniores; ſeq. in profunda abdit; vnde pallor oris, frigus artuum, tremor membrorum, praeſertim eorum, quae vel magis mobilia ſunt, vt poplites, genua, imumq. labellum; vel cordi per neruos, muſculosq. magis coniuncta; vt mandibulae; tum ſilentium; interclusis organis vocis; ſitis; ſolutio alui a caloris ad interna contractione; horror corporis; & aſperitas, erectioq. pilorum; quos rigere, abſcedente calore, non eſt mirum; exemplo ramorum a truncis deciſorum; qui cum antea fle-

ſterentur facile, tandem amiſſo vitali ſucco, areſcunt, & durantur; canities demum, vt de quodam Mantuano refert Scaliger, qui ob magnum timorem repente canus effectus eſt. poteſt enim ea eſſe contractio caloris, & ſpirituum, vt pilorum alimentum vitietur, & corrumpatur. nam corrupto alimento canities, eodem ſublato caluitium exiſtit. In animo autem, perturbatio & inconſtantia gignitur; pauidis enim conſilia in incerto, eaq. magnis timoribus natura, vt, quod euenerit, deterius exiſtimetur, occaſioq. rei bene gerendae fluxiſſe videatur; tum perculſio, quae ſi magna fuerit, dicitur conſternatio; ac ſaepe mortem affert; vt Galenus teſtatur. Lycus, timore Herculis, in arae complexu fertur expiraſſe. Iulia Pompeij, veſtibus mariti cruẽtis ad ſe relatis, quibus ille in ſacrificando fuerat vſus, metuens coniugi, pauore ſubito exanimatur. Sed magnopere infeſtatur nocturna quies a pauore diurno, vt in his, qui Ephialtes, Incubosq. patiuntur; quae viſa naſcuntur vt plurimum ab atra bile; corde preſſo, ac depreſſo a formis oblatis. Nero, meticuloſi homo ingenij, exagitari ſe per quietem horribili matris a ſe interfectae ſpecie, & ſenſit, & faſſus eſt.

In timore autem illud obſeruandum; ab eo per expectationem mali plus ſaepe moleſtiae inferri, quam ab ipſo malo, vbi praeſens fuerit, corripueritq. hominem. notauit id Xenophon tertio Cyropaediae, nam qui exilium, vel pugnae exitum

exſpe-

expectant, in magna degunt animi acerbitate; hi si in exilium pulsi, aut victi fuerint, deposito moerore, suauius interdum, quam felices ipsi, dormiunt, & epulantur. scribit Curtius, aquarum penuriam in Alexandri militibus, desperatione prius, quam desiderio bibendi, sitim accendisse; quod timor futuri mali plus aliquando noceat, quam conspectus praesentis. eo vitio laborant animi futiles; vt, cum impendentis damni cogitationem ferre non sustineant, in ipsa mala conijci malint, quasi minorem molestiam habituri. talem se praebuit Silius Messalinae adulter; de quo Tacitus. *abrumpi dissimulationem etiam Silius, siue fatali vecordia, an imminentium periculorum remedia, ipsa pericula ratus, vrgebat.*

Aliquid tamen boni moderatus timor affert. nam homines attentos facit, & accuratos; consilij, & cunctationis amicos; legibusq. obtemperantes; maxime vero conducit Reipub. timor legum, & ignominiae; vt partem salutis publicae metu contineri nemo inficietur. id significatum a Spartanis, Timoris sacello prope triclinium Ephororum constructo. Plutarchus quoque in Agide testatur, timidissimos legum esse aduersus hostes animosiores; ideoq. fortitudinem a priscis non tam carentiam timoris, quam timorem ignominiae existimatam. nam pati quiduis minime timent, qui maxime trepidant, male audire. sunt etiam qui si indigna pati cogantur, maiorem vitae metum habeant, quam mortis; quod de Iudaeis,

mutare sedes compulsis, memoriae prodidit Cornelius Tacitus lib. 5. histor.

Dubitat Aristoteles in Problem. Cur qui dolent, clamant; qui metuunt silent; cum nihilominus & dolor, & metus aegritudines existant ambo; pariterq. vexent animum? & ait id esse; quod, qui dolent, suum retinent spiritum, qui vniuersus erumpens, cum clamore emittitur; metuentibus vero pectus refrigeratur; calore, qui spiritum mouebat, ima petente. quare spiritum ibi potissimum excitat, quo se contulerit. obcrepat igitur eorum venter, qui metuunt; vociferatur pectus illorum, qui dolent.

Remedia nimij metus in promptu sunt. timemus, quia diligimus. qui diuitias non amat, fures vel peculatores non metuit. Qui lucis huius vsuram non adeo caram habet, non pauet mortem. praeclare traditum a D. Augustino; non aliam esse metuendi caussam, nisi, ne id, quod amamus, aut ademptum amittamus; aut non adipiscamur speratum. amor itaque, timoris radix, succidendus. Confert quoque assuetudo rerum terribilium, & quaecumque gignunt audaciam; vel firmant animum.

Hic ego Caroli Cardinalis factum referam, cuius fama orbem illico admiratione compleuit; vtq. aduersus metum mortis firmauerit animum, enucleabo. Scelerosi quidam homines in eius necem conspirauerant Mediolani; quod seueram illius erga mores dissolutos disciplinam ferendam

non

non arbitrarentur. nec diu ambigitur de summittendo percussore. ex ijs vnus, proiectae homo audaciae, negotium suscipit; mutatisq. vestibus, sub primas sese effundentes caelo tenebras, Archiepiscopalem domum subit; & Carolum ad priuati altare sacelli procumbentem offendit, familiaribus circumfusum; concinentibus interim de more cantoribus, (& quidem ea Christi verba tunc habebant in ore; *Non turbetur cor vestrum, neque formidet*;) ferreumq. tubum, sulfureo puluere, tribusq. globulis plumbeis temperatum, igne per pyritis, & calibis, quae machinis illis adiungi solent, collisionem, excitato, in auersum e modico interuallo displodit. minorum glandium altera parieti, altera certiore propulsu simplo vndulato thoraci, quod gestabat, haesit; tertia grandior penetrauit ad cutem prope renes; quam nihilominus haud aperuit, fregitue; cum maxime ad interiora ob impetum peruadere debuisset; sed quasi in adamantinum impegisset murum, resiliit; liuore in cute relicto, qui admirandi euentus, ac seruatae, Dei beneficio, innocentiae, faceret fidem. ibi ceteris pauore consternatis, intermisso cantu, & fugam spectantibus non paucis, Carolus, qui vnus petebatur ad necem, nec turbatur animo, nec loco, situq. mouetur; cantoribus coeptas Dei laudes prosequi iussis; nec prius abscedit, quam precationibus, vt fieri solebat, summa tranquillitate, ac securitate ad finem perductis. hoc factum, si ad verae fortitudinis normam,

ab Aristotele traditam, expendas, si animum aduersum extrema terribilium repente irruentia immotum consideres, non a prouisione mali paratum ad resistendum, non ira, non spe, non vlla honoris cupiditate, vel ignominiae timore impulsum ad audendum; intelliges, nihil in eo desiderari, quod ad verae, germanae, atque Heroicae fortitudinis laudem faciat; nec temere in Graecorum, Romanorumq. historijs facinus reperiri, quod cum Caroli isto conferri queat. verior enim, & genuina magis fortitudo ea est, quae timore vacat in rebus horribilibus, quam quae constantiam retinet in ijs, quae fiduciam afferunt, beneq. sperare iubent. & atrocia forti animo pati, maius est; quam audere in bellicis periculis. Quod si caussam a me perconteris tantae in Carolo aduersus mortem animi firmitatis, vt nec ab improuiso, laetali ictus telo, constantiam, habitumq. egregiae mentis mutarit; a fiducia, dicam, in Deum, contemptuq. huius, qua viuimus, condicionis, adeo generosos ei spiritus inditos fuisse.

DE

DE AVDACIA.

CAP. VNICVM.

De caussis, & effectibus audaciae.

TIMORI tum spes opponitur, tum; vti extremum quam longissime dissitum, audacia. aggreditur enim quae sunt supra vires; malumq; superare nititur, cui facile succumbat. gignitur vero ab opinione propriae virtutis, vel aduersariorum imbecillitatis; tum a calore cordis, a vinolentia, ab ingenio praecipiti, minusq; rebus gerendis exercitato: quare vt lib.3.Ethic.cap.7. Arist. docet, audacium impetus retunditur paulatim; atque languescit; & cum ante pericula magnopere fidant; postea in ipsis periculis subsidunt: nam

Dulcis inexperto belli vesana cupido:

at vbi primum impetum effuderint, ac terribilia longe grauiora fuerint experti, quam animo conceperant, deferuet audacia, ceu aqua feruens infusa frigida;ipsique, vt animalia quaedam aculeo amisso, torpent. Sed imperitia, quae temeritatem gignit, eadem contrariorum mater affectuum, eripit interdum animum. videre hoc est in ducibus ignaris rerum bellicarum, qui saepe clades ob temeritatem accipiunt; saepe rerum prospere gerendarum occasionem diffidentia corrumpunt. Ex euentu desperatione gignitur auda-

cia, vt ſupra annotauimus. Differunt vero audacia, & fiducia; quod haec bonum per ſe primo reſpicit; audacia malum; vt ſuperet, non vt fugiat; idq. tandem, vt acquirat bonum. quattuor enim hic terminos habemus, quattuor paribus iugandos, malum, bonum, fugam, proſequutionem. ergo vel proſequimur bonum; vel fugimus malum; vel proſequimur malum; vel fugimus bonum. proſequutio boni ad ſpem attinet, & fiduciam, quae ſpei eſt excurſus; fuga mali ad timorem; proſequutio mali ad audaciam; fuga boni ad deſperationem; vt acute docuit D. Thomas 1. 2. quaeſt. 45. art. 2. at quoniam fuga mali, & proſequutio boni ſe mutuo conſequuntur, ſaepe audacia confunditur cum fiducia; quod non ſemel fecit Ariſtot.

Effectus audaciae ſunt, ſanguinis atque caloris diffuſio; commotio bilis ab impetu animi; contemptus diſcriminum; ignaua ſecuritas; rerum profligatio, & interitus. Teſtatur Velleius lib. 2. hiſt. neminem celerius opprimi, quam qui nihil timet; & frequentiſsimum initium eſſe calamitatis, ſecuritatem. aetate noſtra Sebaſtianus Rex Luſitaniae iuuenili audacia impetuq. ſuo, ſpretis prudentum conſilijs, vſus, in Aphricam cum ornatiſsima claſſe traiecit; fidens animo, barbaricasq. copias nihili pendens. ſed poenas dedit infelicis temeritatis incautus adoleſcens; omni exercitu cum Rege, cuius cadauer diu nuſquam apparuit, deleto.

Auda-

Audaciae remedia sunt, moderata de se opinio; non leuis de uiribus aduersariorum existimatio, remota ab omni contemptu; vsus rerum.

DE IRA.

CAP. PRIMVM.

Quid ea sit, vti differat ab odio; & an sit eo grauior. vti excitetur, augeatur, exstinguatur.

IRA, concupiscentis facultatis rationisq. administra, quæ illæ cupiunt, eliguntue, audacter suscipit, & impedimenta, quantum potest, amolitur, geritq. vicem satellitij, baculis turbam a Principe, vel magistratibus summouentis; tollit quippe ea, quae impediunt fugam mali, & prosequutionem boni. hanc Speusippus per formam definit, *prouocationem irascentis facultatis ad vlciscendum*; Nemesius per materiam; *accensionem sanguinis circa cor, ex conturbatione fellis.* Arist. 2. Rhet. ait, *esse apparentis vltionis appetitum ex dolore, quod se, aut sua quis immerito contemni videt.* (*Apparentis;*) nam satis est existimare se ludibrio habitum; (*aut sua*) nam irascimur etiam, si quid nobis cari indigne patiuntur; vt Plotinus ait enn. 4. lib. 4. cap. 20. hinc liquet irae cupiditatem, ac dolorem anteire. nomine *vltionis* etiam castigationem intelligo; licet eas Aristoteles 1. Rhet. distinxerit, quod castigatio est eius gratia, cui dolor

lor inuritur; & ob eius vtilitatem; vltio vero gratia eius qui vlciſcitur; vt ſcilicet animum expleat. Sed confunduntur interdum; vt in hac definitione. iraſcimur enim in eos, quos caſtigatos, non detrimento volumus affectos; vt in filios, & diſcipulos. Dicitur aliquandò indignatio, late ſumpto vocabulo; tuncq. ab ira etiam modicum differt; vt D. Baſilius docet lib. de ira. nam indignatio eſt ſtimulus breuis, & ſubitus; acutusq. paſsionis vapor; ira vero permanens eſt, & diuturna triſtitia; apta ſeſe ocioſe vlciſci, veluti libido qnaedam ſe vindicandi. Dicitur etiam excandeſcentia, quae nihilominus exuperãtiam irae propriae deſignat; proditam ſignis externis. Demum ſi ſubito exoritur, fel appellatur; ſi diuturnior eſt, mania; ſi abſque quiete, furor. primos illos, 4. Ethic. cap. 5. Ariſtoteles acutos vocat; alios amaros; poſtremos difficiles. Irae comites ſunt, voluptas, dolor, odium. Voluptas quidem quia iucundum eſt cogitare, ſe conſequuturum vltionem, quam vehementer optabat. dolor, quia iniuriam accipere, non contingit ſine dolore. odium denique; nam proptum eſt odiſſe, a quo fueris iniuria affectus. quin etiam vbi tenditur ad caſtigationem in eos, qui ſunt cari, aliquod odium, facti ſaltim, intercedit, ſi non hominis. quare Zeno aiebat omnium perturbationum ſemina in iram confluere; quemadmodum ſemen animalis eſt miſtura quaedam, ab omnibus animae facultatibus auulſa. Odio vero nec voluptas ineſt, & poteſt

non

non inesse dolor; vt cum bonus odit malum. saepe etiam existit sine ira; vt cum iudex punit nocentes. Ceteras odij, atque irae differentias, cum de odio ageretur, enumerauimus. Sed illud non omittam, propriam irae vim, qua distinguitur a ceteris perturbationibus esse impetum & exarsionem animi, ab opinione contemptus sui exurgentem, (bilem animi non insulse dixerim) quam dolor, odium, libido vlciscendi, voluptas consequitur; huic opponitur mansuetudo, seu lenitas quae, diffusa per animum, impetum illum anteuertit, vel erumpentem comprimit, atque frangit.

Quaeri hoc loco potest. Odium ne sit ira grauius? D. Thomas affirmat. Primum, quia odium est obfirmata quaedam affectio; & se habet vt habitus; ira vero est quid elabens, & in fluxu positum. deinde; ira occupatur circa bonum, scilicet iustitiam; ita enim iratus censet. odium vero malum tractat; quod magis vrget, quam bonum. denique, vt notat Card. Caietanus; odium natura sua, est sine mensura; quod enim habemus odio, vellemus non esse; ira vero est cum mensura, quia spectat iustitiam; & cum omnis, qui irascitur, arbitretur se praeter ius, fasq. laesum, quaerit aequalitatem; eaq. obtenta, quiescit.

Caussa irae est malum offendens, quod possit repelli. eius prima radix est opinio contemptus sui ab alio, vt docet Plutarchus lib. de ira. & quia malum infert dolorem, qui vero dolet animo, semper alicuius rei desiderio tenetur, fit vt omnis ira

fit

ſit a dolore cum deſiderio, vt in libris de arte dicen di Ariſtoteles concludit. Virgil.

Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?

idem.

Nec dum etiam cauſſae irarum, ſaeuiq. dolores
Exciderant animo.

inde naſcitur quoque, vt qui paupertate vexantur, qui amant, & in ſumma qui, cum deſiderent, expleri non poſſunt, ad iracundiam nullo negotio concitentur. Pauperes adhuc, atque corpore debiles alia quapiam de cauſſa excandeſcunt facile; quod ſcilicet exiſtimant ſe contemni ab omnibus; cum contemptus cauſſam in ſeipſis gerant. ideo ſenes, claudi, gibboſi, monoculi, caeci, manci, deformes, nulla data occaſione, iraſcuntur, natura praeſertim, quae poteſt, arma debilibus ſuppeditante. Qui ſunt animo anguſto, minusq. ad iudicandum firmo, idem incommodi patiuntur. vt enim imbecilla corpora a vento, ſole, frigore ceterisq. incommodis facile afficiuntur; ſic animi exiles ab irae impetu diuexantur magis. pueri, feminae, frigidae temperaturae homines, centies in die ſuccenſent; at magnanimi, etſi ab innato calore ſint ad iraſcendum proniores, tarde nihilominus iraſcuntur, quod vilia putant, quae grandia puſillanimis apparent. Bilioſi facilius inflammantur; frigidi ſeruant iram diutius; ſanguinei cito concipiunt, quia calidi; cito deponunt; quia humidi. ſanguis autem etſi ſuapte natura pariat hilaritatem; at copioſus uim

habet

habet bilis; facileq. concipit iram. Eſt etiam victus ratio aliqua, quae auget bilem; vt cibi calidiores; idem praeſtat inedia, quae cerebrum quoque, iudiciumq. debilitat. vnde qui ſemel in die veſcuntur, excandeſcunt facilius; moribusq. exiſtunt amarulentis: vt in mirabilibus teſtatur Apollonius, in phyſicis quaeſtionibus ab Ariſtotele ad hoc ipſum appellatus.

Augetur ira, ſi amicus erat, qui fecit iniuriam. nam inexpectata magis mouent; resq. intoleranda videtur, offenſionem inde accipere, vnde ſperabamus beneficium; tum creſcit ab excellentia condicionis, atque ſtatus; nam cum velint eſſe ſoli, ad vmbram omnem, vt canes ad uolatus muſcarum, excandeſcunt. demum augeſcit aduentu miſeriarum, & calamitatum; neque enim haec expectabant auctaria doloris. contra eos, qui ſpe bona ducuntur, & voluptate fruuntur minime contumelioſa, lenes & mites eſſe, tradit Ariſtoteles.

Prohibetur ira, ſi iniuria nobis inferatur ab ijs, quos timemus. neque enim poſſumus timere ſimul, & iraſci. quod ſi priuatim ſuperioribus ſuccenſemus, eſt, quia in receſſu & ſecreto eos non metuimus. ſic in angulis impune ſaepe deridentur facta potentum; quia ibi non timentur.

Prohibetur etiam, ſi qui nobis iniurij fuerunt, eadem quoque mala intuliſſe ſibi dignoſcantur. nemo enim videtur ſe ipſum negligere; quodq. in nos ab ijs admittitur, non videtur eſſe a contẽptu.

Ceſſat eadem in eos, quos facti poenitet; id

enim videtur esse, ac si poenas dedissent, in priore autem mente perdurasse, impudentia est, & contemptus. quapropter ea durante, perseuerat vltionis appetitus.

Cessat quoque in timentes, & se demisse gerentes; videntur enim se inferiores fateri; quare canes non mordent prostratos. deferbuit enim ira ex demissione; tum in eos, qui per iracundiam peccarunt; his enim vel non succensemus; vel leuius; quod non per negligentiam nostri fecisse videntur. contemptus quippe est sine animi dolore; ira semper cum dolore; igitur qui agit ex iracundia, non contemnit; ideo, si offendat, minus bilem ciet. Lenitur ira, & deferuet tempore; nam

Quid non longa dies, quid non consumitis anni?

tum sumptione pœnæ, etiam ab alio. saepe enim iratus duobus, vbi de altero vltus est, alteri eo ipso est mitigatus. obseruauit hoc Philocrates; qui noluit pro se apud populum dicere, donec, alio quopiam morte multato, iram populus in eum effudisset. Iudices quoque in Areopago magis erant Ergophilo infensi, quam Callistheni; eum tamen absoluerunt; cum pridie Callisthenem morte damnassent. Desinit quoque haec perturbatio propter victoriam. sic, ea adepta, victorum minae in irritum cessere, expleta scilicet vindictae siti. Hadrianus quos in priuata vita inimicos habuit, imperator factus neglexit; adeo ut vni, quem capitalem habuerat, princeps renunciatus, diceret,

euasisti;

euasisti; vt in eius vita scribit Spartianus.

Cessat demum ob calamitates in eum, cui eramus infensi, aduenientes; ac praecipue in vita functos; videntur enim illi nobis dedisse poenas; & qui sensu carent, praeterquamquod extrema mala passi censentur, videntur non habituri sensum doloris, si vltio in eos exerceatur. iure igitur apud Homerum Achilles reprehenditur;

Quis furor est terram sensu vexare carentem?

par huic Xersis fuit stultitia, vbi verbera ingessit mari; compedibusq. Neptunum se vinxisse opinatus est.

CAP. II.

De effectibus irae.

HI multi numerantur. Primus. dolor in animo ab retardatione, atque mora vindictae; & anxietate, ne non sequatur. Valerius. *Ira consternationis plenus affectus; ac numquam sine tormento sui violentus, quia dolorem, cum inferre vult, patitur, amara sollicitudine, ne non contingat vltio, anxius*. saepe iratus, ni vlciscatur, adigitur ad rabiem erga se, atque crudelitatem in alios.

Secundus. voluptas animi ex alia parte; scilicet ab spe futurae vltionis, quae quasi praesens obiicitur. vt enim iucunda phantasmata voluptatem pariunt, dormientibus, ita vltionis cogitatio, quam irati mente voluunt, ijs affert delectatio-

tio-

tionem. Homerus de ira.

Dulcior effuso quae melle in pectore gliscit.

ſed maior accipitur voluptas vindicta ſequuta. Virgilius.

animumq. expleſſe iuuabit,

Vltricis flammae; & cineres ſatiaſſe meorum.

Tertius. perturbatio rationis, ac de mente deiectio; Terent. *Prae iracundia, Menedeme, non ſum apud me*. quare leges minus ſeuere puniunt delicta ex iracundiae calore patrata. Verum illud quidem eſt, iram inuoluere diſcurſum, vt lib. 6. Ethic. Ariſtoteles ſcripſit; nam appetitus vindictae non eſt ſine aliqua collatione; quare vino ſepulti non excandeſcunt; bruta quoque, etſi carent diſcurſu, tamen eius loco aliquid habent, quo incitantur ad iram. itaque inficiari non poſſumus iram ab initio non commoueri ſine ratione; at in progreſſu poſt factum de offenſa inique illata iudiciũ, ratio premitur, & abſorbetur. Quartus. feruor ſanguinis circa cor; quem in aliis conſequitur pallor a contractione ſanguinis, in aliis rubor; ſcilicet quibus ſanguis eſt magis fluidus; vel qui ſunt animo generoſo. pallor enim ille non contingit ſine timore; & omnino pallere in iracundia eſt abiecti animi argumentum. Hunc ſanguinis feruorem ſequitur palpitatio cordis ob exarſionem; tum ligamen linguae, & organorum, quibus vox formatur, & ſuis articulis diſtinguitur. Exarſio autem a flaua bili oritur, quae per iracundiam cietur. Virgilius.

Exarſere

Exarsere ignes animo; subit ira cadentem
Vlcisci patriam, & sceleratas sumere poenas.
His accedunt ardor oculorum, debilitatio, laxatio imi labelli, tumor oris, tremor genuum, atque manuum, inflammatio totius corporis; & praeter huiusmodi symptomata; epilepticus quandoq. paroxismus, vomitus biliosus, quem sequatur febris; hanc vero cita mors excipiat. Ouidius.

Ora tument ira, nigrescunt sanguine venae;
Lumina Gorgoneo saeuius angue micant.

& Persius;

Nunc face supposita feruescit sanguis & ira;
Scintillant oculi, dicitq. facitque, quod ipse,
Non sani esse hominis, non sanus iuret Orestes.

Galenus lib. 5. de loc. affectis, cuiusdam Grammatici meminit, qui in ira corripiebatur statim morbo comitiali; sed lib. 2 de sympt. causs. ex ira confestim, & sine mora quem mori, negat.

Verum vna coloris immutatio, ab iracundia facta, eius virulentiam satis ostendit; cum, Hippocrate auctore, morbus eo sit perniciosior, quo faciem aegrotantis magis immutat.

Demum, officit valetudini, ob incrementum bilis; quod si cohibeatur, nocentior euadit; compressa enim vrit sanguinem; cuius cineres in humores atros transeunt; vnde tristitia oritur; ceu illi, qui solitarius, & e medio reductus, secus Graiorum carinas.

Pascebat rabidas animis feruentibus iras.

Alios irae effectus ex euentu recitat Plutarchus, nam in iocando amicitiam mutat in odium; in disputationibus studium cognoscendi vertit in libidinem contendendi; in iudicio, potestati addit insolentiam; in institutione liberali, moestitiam, & odium disciplinarum animo ingerit; in rebus secundis, auget inuidiam; in aduersis, se misericordiae eximit; vt Priamo contigit a Neoptolemo.

CAP. III.

De Remedijs irae.

ANTIDOTA irae diligenter quaerenda, quod venenum eiusmodi, plerumque inuictum, ab innumeris propinatur. difficilis autem apparet eius curatio, ob varios affectus, & quandoq. inuicem pugnantes, in eam confluentes; vt enim contrarij morbi, semet complicantes, difficilem, & ambiguam reddunt curationem, sic affectiones animi commixtae, medentis diligentiam, peritiamq. non vulgarem postulant.

Primum igitur suspicio remouenda; nec opinandum ea, quae nobis displicent, facta in contemptum nostri; sed potius per incuriam admissa.

Deinde,

Deinde, non eum qui conuiciatur, auctorem esse contumeliae, censendum; sed opinionem de eis, ut contumeliosis, conceptam. quod remedium, uti a Stoica duritie depromptum, paucis usui esse potest.

Tertio, de se ipso sentiendum moderate; existimandumque, se posse aliquid committere contemptu dignum.

Quarto, reputandum iram proficisci ab animo imbecillo, & abiecto, eam enim a mollitie mentis existere opinantur Antiqui. Plotinus Enn. 3, lib. 2, cap. 2. ait, irascendi naturam timidam esse; quia respicit rationem malam. Aristoteles, ut refert Aelianus lib. 12. var. histor. hoc argumento Alexandrum ab iracundia reuocauit: *ira non in pares, sed in meliores existere solet; tibi vero nemo est par*; ergo non irasci magni est animi, & generosi.

Quinto, censendum turpe esse iniuriam referre; nam qui id facit, flagitij partem accipit; ac in peccato est; ut qui fuliginosum complectitur, & cum eo uolutatur, fuligine abit inquinatus. & omnino uelle ubiq. par pari referre, ubi de rependenda agitur iniuria, turpissimum censetur; irrideturq. Chtesipho pancratista, qui mulam sibi calce referiendam duxit. Cedendum aliquando, ut superemus; hae sunt huius palestrae leges; ut athletas imitemur interdum; qui de industria humi plerumque depressi, aduersarijs

ſuperne incumbentibus uictoriam eripiunt.

Sexto, utendum cibis frigidis, potu aquae, ſomno remiſſo, atque breui; ceterisq. bilem & calorem minuentibus; cauendumq. ab inedia. ieiunis enim bileſcit ſanguis, ut lib. 1. problem. cap. 134. teſtatur Alexander; tum a nimio motu; quod mordaces gignat humores; nec non a continuatis uigilijs; quia uim hae habent exiccandi; ut contra ſomnus humidum reddendi.

Septimo, aures admouendae ſermonibus cum doctrina, & ueritate coniunctis, ut Philo praecipit in Allegorijs. ſcribit Galenus, quendam in itinere, cum ex ira ſeruum uulneraſſet, facti poenitentia, ſtatim ueſtes exuiſſe in uia; &, porrecto loro, Galenum oraſſe, ut ab eo uapularet; quae cum ille non ſine riſu excepiſſet; non tam uerberibus ait, quam oratione graui, & accurata, eiuſmodi morbo occurri poſſe; ac firma deliberatione, amplius nihil tale committendi. quod mihi quoque aptius uidetur irae prohibendae, domandaeq. remedium, quam *plagas centum Spartana*, vt aiunt, *nobilitate concoxiße*. Menander dixit, *non aliud aptius eſſe pharmacum irae, quam viri grauis orationem*. haec nihilominus tempeſtiue adhibenda; vbi ſcilicet ira paululum reſederit. nam, vt Plutarchus monet, citius nauis in tempeſtate conſtituta ſine nauclero, recipiat aliunde gubernatorem, quam orationem alienam ſit admiſſurus homo, dum im-

petu

petu irae, ceu fluctibus, agitatur.

Octauo, cum facto alicuius offendimur, cogitandum a nobis quoque non pauca perperam fieri; quod fuit a Plutarcho praeceptum in aureo illo commentario *de ira cohibenda*, qui magna cum vtilitate nobis legendus proponitur.

Nono, quod Thelamon ad nuncium de Aiacis filij morte protulit, *Ego, cum genui, moriturum sciui*; id saepe nobis vsurpandum in offensionibus; dicendumque; sciebam, sciebam hominem illum esse; posse delinquere, labi, peccare; quod irae antidotum ex eodem Plutarchi deprompsimus narthecio; probatq. Epictetus, cuius illa sunt. *Opus aggreßurus tibi subiicito cuiusmodi illud opus sit. Si lauatum abieris, ea tibi proponito, quae fiunt in balneo: alios perfundi, alios loco pelli, alios conuicia facere, alios furari; nam, ijs in te admissis, non excandesces.*

Decimo, iuuãt valde proposita, & vota de non irascendo per annum, menses, dies; quae subinde innouari possunt; itaque progressus fiet ad virtutem; vt monuit Plutarchus.

Vndecimo, spatiũ animo concedendum, vt se colligat, & dissipatas sui partes restituat in vnũ. *Differ; habent paruae commoda magna morae.* Athenodorus recessurus ab aula monuit Augustum, *ne quid in ira diceret faceretue graecis characteribus non prius recitatis*; quippe satis habuit, tantulum spatij consilio relinqui. Vtendum

quoque sessione, & quiete corporis. motu enim intermisso, subsidunt spiritus; & calor deferuet.

Duodecimo, remouendae occasiones irascendi; vt Cotys Rex Thraciae fecit; vasa enim torno elaborata, sed quae facile frangerentur, dono oblata, repudiauit, seu confregit ipse; ne, cum iracundiorem se natura intelligeret, eorum gratia saeuiret aliquando in domesticos.

Decimotertio, non est inutilis Musicae sedatae vsus, cuiusmodi Dorica fuit; quam Spartani, praelium inituri, adhibuere. Etruscos ad tibiae cantum in seruos flagris animaduertere solitos, tradit ex Aristotele Plutarchus; ne irae nimis indulgerent.

Demum, si tot remedijs ira prohiberi, aut eiici, aut minui, aut comprimi nequit; mitigari poterit eruptione in verba moderata contra iniuriae auctorem; hoc virulentia eiicitur; questibus satiatur animus; suppuratumque vulnus meliores curationes admittit. Satius vero est apud se, vel amicos iracundiam effundere, quam intus coquere, instar illius, qui Iliados α

Pascebat rabidas, animis feruentibus, iras.

vt enim exhalatio inclusa terrae visceribus diu viget, atque in terremotus, & concussiones desinit; at locum nacta eluctandi, minore discrimine euanescit; sic se ira gerit in animo. vtq. mare purgatur impetu ventorum, alga, & mu-

sco

ſco egeſtis; ita animi virus cum verbis, & queſtibus eiicitur: at cauendum ne ſint inhoneſta, impudica, ſpurca; primum enim dentes inficerent proferentis. Qui vero iras animo verſant, & alunt, ſunt implacabiliores. Piſo accuſatus, quod Germanicum deuotionibus, atque veneno ſuſtuliſſet, cauſſam dicturus, nulla re magis territus eſt, quam quod Tyberium ſine miſeratione, ſine ira, obſtinatum clauſumq. vidit, ne quo affectu perrumperetur; vt ſcribit Tacitus in Annalibus.

Illud autem non ab re fuerit monuiſſe; iram in conſultationibus, & deliberationibus ſtudioſe vitandam, & omnino comprimendam eſſe; quod mentis aciem, quaſi tenebris iniectis, impediat a proſpectu veri. Hinc Bias dixit, conſilio duo maxime opponi, feſtinationem, & iram. at in exequendo, ardua praeſertim, quaeq. magno animo habent opus, moderanda quidem, ſed non radicitus conuellenda.

CAP. IIII.

An ſit difficilius irae, quam voluptati repugnare.

EGREGIA difficultas; & quae vtriuſque affectionis vim in diſquiſitionem, atque notitiam vocat.

Heraclitus maiorem omninò vim iracundiae

tribuit, vt in Ethicis Aristoteles refert. Eius illa sunt apud Plutarchum; *Difficile est repugnare irae; quia quicquid concupiscit, id, anima pro pretio data, emit.* in eandem sententiam Plato 2. de leg. ait; *ira nec expugnari, nec vinci potest.* Philemon *insaniam* vocat; Horatius *breuem furorem*; Euenus quid interdum furore deterius; Menander; *Quam difficile est iram cohibere.* & Euripides. *grauis, ac prope insanabilis est ira.* Verum Aristoteles censuit multo esse laboriosius aditum obstruere voluptati, quam irae;

Nos vero, vt omnis tollatur ambiguitas, operepretium ducimus, annotasse; multa concurrere ad efficiendum, vt quid aegre tollatur. impedit enim vis vehemens eius rei; quam amoliri studes; affinitas eiusdem cum sensu; assuetudo hominis; latens & subdolus rei aduentus. igitur si vim morbi intuearis, dices iram eiici, vel non admitti operosius. est enim vehementissima. quare dicitur a Philosophis *acerba animi commotio*; legesq. valde indulgent ei, qui ob iracundiam non fuit compos mentis. Sin affinitatem cum sensu hominis, & communem assuetudinem spectes; cum maior hominum pars in voluptatem propendeat magis, pro voluptate calculum in hac controuersia ponas; praesertim si meatus occultos, quibus ea in animum illabitur, animaduertas. Quid porro animantibus est magis affine voluptate; quae cum ijs nascitur, &

adole-

adolescit? infantes, vix nati, delectantur lacte; totamq. vitam voluptas comitatur, vt vmbra corpus; eam quisq. lubens suscipit; dolorem fugit; cuius causa iram diligere non potest. Demum ira per vim insurgit apertam; & cum strepitu, atque fragore animum expugnat; voluptas vero sensim, & latenter adrepit, loco doloris ingerens delectationem. Exemplum rei, de qua agitur, accommodatum antiqua nobis nomothesia praebet. Olim grauiore poena in adulterum animaduertebatur, qui pellaciae artibus mulierem corrupisset, quam qui stuprasset per vim. qui enim honestae matronae vim fecit, nequaquam eius animum a marito abduxit, vel liberis; at qui per blandiloquentiam subegit, furtum admisit. quare adulteria a Poetis furta dicuntur; & Xenophon furti nomine adulterium insigniuit. Eandem porro diuersitatem in voluptate atque iracundia cernere licet. neque enim ira, vt quae violentior existit, animum adeo corrumpit, ac voluptas; vafri, subdoliq. ingenij affectio. haec ergo difficilius excluditur, eiiciturque.

Huic dubitationi ea est affinis; Perseueret ne ira magis, an amor libidinosus. non moror Lectorem; ad finem enim concitatiore motu feror, grauium atque leuium imitatus naturam. Libido eius est ingenij, vt haereat diutius; ira vt citius defluat; haec enim inurit dolorem, quem

natura

natura fugit;illa voluptatem affert omnibus amicam. Verum si terribile quiddam ingruat, mutat cupido indolem; ac amoris ardor extinguitur, ira ex se acrior efficitur; vel quod animus illa percitus minus discrimen aduertit; vel quod eadem intentior factus, reluctatur vehementius contra offendentem; ceu flamma ingens, perflante vento, amplificatur, atque ex inimica vi nanciscitur vires maiores. Hanc diuersitatem in Turno, atque Mezentio expressit Virgilius. Turnus amator, in vitae discrimine, despondet animum; amorem abiicit, & exclamat.

tua sit Lauinia coniux.

at Mezentius, iracundiae spirans imago, securitatem ac ferociam deducit ad tartara, inquiens.

Hostis amare, quid increpitas, mortemq. minaris?
Nullum in caede nefas, nec sic ad proelia veni;

tantum, sub hostili gladio trucidandus, fiduciae retinuit, & irarum. Plato irascentem comparauit bellatoribus; concupiscentem artificibus; hos, uti ex infima plebe sunt, ita mobiles animo existere, illos constantiam tueri magis, nemo fuerit inficiatus. Nec plura habemus, quae de ira, ceterisq. affectionibus animi ad praesens scribamus.

FINIS.

ANTONIVS PERSIVS MATERANVS, Ciuisq. Romanus.

IVSSV apprime Reuer. F. Dominici Pag. ſubſtituti Reuer. M. S. P. Legi libellum diligenter; cui titulus de Affectionibus animi noſcendis, & emendandis, Laelij Peregrini in Ro. Gymnaſio philoſophiā de moribus magnā cum ſua laude publice profitentis. nihilq. in eo deprehendi, aut cum fide catholica pugnans, aut Reip. Chriſtianae, boniſq. moribus aduerſum; quin magnopere conſentiens. eruditumq. in primis, & ſtudioſis vtilem, periucundumq. cenſeo, dignumq. cum his, tum alijs de cauſsis, vt in lucem edatur, exiſtimo. Datum Romae Idibus Auguſti. M. D. XCVIII.

Ant. Perſius Philoſophiae, Theologiae, ac V.I.D. inter omnes minimus.

REGESTVM.

† A B C D E F G H I K L M.

Omnes sunt quaterniones.

ROMAE,
Apud Vincentium Pelagallum, in via Peregrini.
M. D. XCVIII.

Typis Sulpitij Mancini.